BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 D
7

M
Mfg 92—39
Fiam

14-19. d. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

POLYMATHIA

SEU

Ad Multiplicem Scientiarum Notitiam
Brevis Methodus, & Accurata,

QUAM

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

VICTORI GIOVARDO

UTRIUSQUE SIGNATURÆ DECANO

In obſequentiſſimi animi Monumentum

FRANCISCUS ROBERTI

L. D.

Est Comitis Iosephi Mariæ de Urbano

ROMÆ MDCCLXXXII.

EX TYPOGRAPHIA ARCANGELI CASALETTI
IN ÆDIBUS MAXIMI.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illmẽ, ac Rmẽ Domine.

OBtinuit iampridem, Præsul Amplissime, apud eruditorum nationem, ut qui opus aliquod typis vulgandum committunt a Principe Viro aliquo, cuius nomen fronti operis ipsius præfigunt præsidium iuxta, & decus aucupentur. Atqui non id potissimum ego ante oculos habui, dum opellam hanc tibi meam, laudabilem morem usurpans nuncupatam volui, & Clarissimo VICTORIS GIOVARDI, nomine insignitam: Quamvis enim indiga vel maxime sit præsidii, quo sustente-

Digitized by Google

tur, & ornamenti, quo penitus deſtituitur; utrumque tamen ſperare quadamtenus potuiſſem alium abs te quempiam aut Dignitate, aut Genere, aut Litteris, Meritiſque conſpicuum rogans, atque obſecrans, ut meas haſce nugas ne gravate ſuſciperet, ac tueretur; Verum ea ratione ut ut mihi fortaſſe conſulerem, operis certe quodammodo argumento defuiſſem: Illud quippe eiuſmodi eſt, ut Tæ præ ceteris Unum ac Vindicem ſuo quaſi iure depoſcat. Quum enim libellus iſthic ad inſtituendos rite bonis artibus iuvenes totus collineet, Te unum poſtulabat, Unum qui ſtudioſo Iuventutis bono natus, atque a Superis datus noſtræ huic ætati cenſendus es, ac iudicandus. Neque vero dum peculiare hoc decus

Digitized by Google

tuum commemoro quicquam detractum velim Meritis tuis plane ſingularibus, quæ & Patria ſuſpicit, & finitimæ Gentes extollunt, & Caput mundi Roma præ cæteris miratur iamdiu, ac prædicat: Hic Te Pontifices Maximi non Unus, aut alter, ſed bene Quatuor & magni fecere, & laudibus proſequi & graviſſimis demandatis negotiis honeſtare dignati ſunt, Teque Signaturæ utriuſque Iudicem conſtituentæs non tam dignitati tuæ, quam publicæ rei conſulere iudicarunt: quo quidem inmunere, aliiſque, quibus egregie fungeris Sapientiam, Integritatem, Abſtinentiam, Conſtantiam, Dexteritatem adeo probaſti tuam, ut ad ampliora factus eſſe, ac natus bonis omnibus nunquam non videreris Verum

rum hæc habes nonnullis cum aliis communia ; quamvis præcipuum nescio quid , ac singulare ab hac virtutum complexione incurrat eorum in oculos, qui tuam vivendi, agendique rationem attentius inspiciunt , quæ Te præstat *sine Superbia Nobilem* , *sine Iactantia Litteratum* , *sine Asperitate Constantem* , *sine Popularitate Communem* , ut Sidonii Apollinaris (1) verba usurpem in rem præsentem apprime facientia. Illud de Te præ cæteris prædicandum , omniumque sermone , Litterisque prosequendum , quanto nimirum studio , quanta accensa cupiditate , quanta cura , atque industria studiosos adolescentes ad bonarum artium stadium sive ineundum alacriter , sive impigre decurrendum

neque

(1) Lib. VIII. epist. 18.

Digitized by Google

neque operi, neque ſumptui parcens ulli incites, exſtimules, iuves: Quæ quidem tua laus profecto maxima quam longe ab aſſentationis ſuſpicione ſit poſita, docet ſatis opinor una illa, ſi reliqua ſileantur, una, inquam Bibliotheca illa, & Librorum copia, delectuque, & editionum nitore, ac varietate, & MSSptorum ſelectiſſimorum opulentia, eximia, quam Verulanæ Civitati Patriæ nimirum ſuaviſſimæ paucos ante annos donatam munifice voluiſti, in omnium quidem, ſed florentis illius Seminarii præcipue utilitatem, & commodum: Quam porro liberalitatem novis adhuc beneficentiæ documentis ampliſſimis cumulare non deſinis. Dives quippe illud Sapientiæ domicilium nova in dies ſuppellectile erudita ornare non deſinis. Parum

eſt : Bibliothecæ ipſi Præfectum idoneum honeſtiſſimis quidem ſtipendiis in omne deinceps tempus conſtituiſti, qui omnibus præſto eſſet aditum in illam petentibus aut diſcendi cupiditate, aut inſpiciendi curioſitate. Magnum profecto id per ſe ſe, maius ex eo, quod Vir doctiſſimus, & Librorum Helluo, ſi fas eſt ita loqui, ut ſtudioſæ Iuventuti conſuleret, delicias nempe ſuas, ac divitias omni auro, gemmiſque cariores : ſponte abdicavit. Addam tamen aliud, quo neſcio an illuſtrius ad rem, qua de agimus poſſit excogitari: Maiores tui, Præſul Ampliſſime, a quibus & eximiam Generis Nobilitatem, & hanc Iuventutis ad bonas artes informandæ indolem hauſiſſe cenſendus es, Maiores, inquam, tui iam ante pu-

Digitized by Google

blicis tabulis decreverant, ut si forte temporis decursu Giovardorum familia, ut humana sunt omnia, posteris deficeretur, Patrimonium alendis certis adolescentibus, qui liberalibus disciplinis, certis tamen sapientissimis statutis legibus, navarent opera, tribueretur. Tu rem domesticam non modo illis accurate servas, sed promoves etiam solerter, signum quasi aliquod ingenii proferens ad hæreditatem cernendam tuam. O animi magnitudinem singularem! O amorem in Patriam, in Litterariam, immo & in Christianam Rempublicam nullo umquam tempore conticescendum! Interest enim vero non humanæ Societatis modo, sed & Religionis Orthodoxæ quamplurimum recta Adolescentium insti-

tutio

tutio, atque informatio. Quæ quum ita ſint, boni conſules ſpero, Præſul Ampliſſime, quod tuæ fidens humanitati, tuoque in ſtudioſos invenes animo ſupra fidem benevolo, ac proclivi, ingenioli mei conatus hoſce, qui adoleſcentibus viam ad ſublimiores facultates muniunt, tuo præ cæteris nomine inſignitos voluerim. Satis iam de inſcriptionis ratione. Reliquum illud eſt, ut opellam pariter, & auctorem pro tua humanitate benigne accipias, & quod a Bonis Superis enixe rogant boni omnes ad Præſulum decus, ad Patriæ, ad Communem omnium Utilitatem diutiſſime, ac belliſſime valeas.

Humill. Addictiſſ. Obſequentiſ. Famulus
FRANCISCUS ROBERTI.

Digitized by Google

I M P R I M A T U R

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci ab I. C. Patriar. Antioch. Viceſg.

UT per me fieret ſatis Juſſionibus Rmi P. Thomæ Mariæ Mamachi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, legi Opus, cui Titulus *Polymathia ſeu, Ad Multiplicem Scientiarum Notitiam Brevis Methodus, & Accurata*, in quo, liceat concedere Veris, nihil abſonum Fidei, nihil Moribus adverſum deprehendi potuit, quin imo emicant in eodem Auctoris Eruditio, Diligentia, atque Iudicium: Nil ergo vetat, quo minus publicæ luci donetur. Ita cenſeo, ſi quorum intereſt viſum fuerit: Dabam in Conventu Jesu, Maria De Urbe, Die 13. Settembris 1782.

Fr. Dominicus Nicolaus a SSmo Roſario Auguſtinenſis Excalc. Sac. Indicis Cong. Conſ.

OPus, quod inſcribitur *Polymathia, ſeu, Ad Multiplicem Scientiarum Notitiam Brevis Methodus, & Accurata*, attente legi iubente Reverendiſſimo P. Fr. Thoma Maria Mamachi S. A. P. Magiſtro. Nihil in eo deprehendi, quod orthodoxæ Fidei Dogmatis, Chriſtianiſque Moribus adverſetur. Quæ contra de Facultate Criticea, illiuſque uſu præcepta traduntur & Cl. Auctoris eximiam commendant eruditionem, & ſtudioſæ præſertim iuventuti plurimum afferent utilitatis. Quapropter publica luce dignum, lane cenſeo.

Dat. Romæ xiii. Kal. Auguſti 1782.

Bernardinus Famiani.

I M P R I M A T U R

Fr. Thoma Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AD

AD LECTOREM.

HANC tibi opellam Lector humaniſſime exhibemus, ut noſtram, quam tibi anno ſuperiore in Diſquiſitionibus Critico Philoſophicis, & Hiſtoricis ſpopondimus liberemus fidem. Habes in prima hac Polymathiæ parte Canones Artis Criticæ, in quibus ea, quæ ad Facultates cæteras facile ſimul, & caute aggrediendas, tenendaſque neceſſaria viſa ſunt breviter propoſuimus: Ex Celebrioribus hac in Arte Auctoribus Canones collegimus: Eos exemplis illuſtravimus fortaſſe non vulgaribus: De Auctoribus, eorumque operibus iudicium protulimus Eruditorum: Nonnulla etiam ex noſtro pœnu quantumvis tenui deprompſimus. De cæteris vero Diſciplinis ſeparatim ſperamus fore brevi ut, Deo dante, agamus. Tu interim hanc perlege, & ſi quid minus dignum eruditione tua occurrat, Tyronum in gratiam, non Eruditorum laborem hunc a nobis ſuſceptum præ oculis habeto. Vale

Nonnulla irrepſerunt, abſente Auctore, ex Typographia Errata. Horum aliqua ultima pagella indicat, alia humano Lectori corrigenda relinquuntur.

IN.

Digitized by Google

INDEX
ARGUMENTORUM

Polymathiæ Pars I. *Pag.* 1.

CAPUT I.

De Artis Criticæ Origine, & Progressu. *Pag.* 1.

CAPUT II.

Artis Criticæ definitio expenditur. pag. 62

CAPUT III.

Apparatus ad exercendam rite Criticam Facultatem Necessarius. pag. 67.

CAPUT IV.

Quanti faciendum sit in Arte Critica Argumentum ex testimonio Veterum, & ex Antiquis MSS. pag. 87.

CAPUT V.

De Mendosis Libris, & MSS. Veterum: De Mendorum Origine, ac de Legibus ea dignoscendi, atque emendandi. pag. 89.

§. I.

De Mendorum Origine. pag. 90.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Canones proponuntur, quibus Suppositicii, & Mendosi Codices dignosci possunt. pag. 102.

§. III.

Canones Emendandorum Codicum traduntur. pag. 110.

CAPUT VI.

De Suppositiciis, & Interpolatis Libris: Nec non de Regulis unde Eruditi eos noscant. pag. 118

§. I.

Dari Suppositicios, & Interpolatos Codices Scriptorum testimoniis comprobatur. pag. Ibid.

§. II.

Canones exponuntur, quibus colligere licet Auctorum Libros Genuinos esse, aut Suppositicios, Integros, aut Interpolatos. pag. 122

CAPUT VII.

De MSS. in Re præsertim Diplomatica. pag. 138

§. I.

De Multiplici Diplomatum Genere, ac Fide. pag. 138.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De præcipuis Diplomatum Partibus. pag. 148.

§. III.

Conjecturæ multiplex ad Scripturæ vetuſtatem inferendam. pag. 168.

§. IV.

Quomodo Variæ Scripturæ Ætas Vario Charactere dignoſcatur. pag. 182

§. V.

Quæ Notæ quam Scripturæ Ætatem indicent, ac præſertim de Interpunctione Ætatis Codicem indicante. pag. 200

§. VI.

Synopſis eorum, quæ habenda præ oculis ſunt in perquirenda Veterum MSS. ætate; nec non Canones ad Judicium de iis rite ferendum. pag. 208.

CAPUT VIII.

De Communi Hominum conſenſu. pag. 211.

CAPUT IX.

Quandonam credendum factis, quæ circumferuntur. pag. 111.

UBI.

De Diſcrimine Traditionem inter, & Rumores Populares. pag. 217.

Ille

Ille gratiſſimam rem facit, qui ex iis, quæ diſperſa ſunt in aliorum cogitatis colligere plurima poteſt, eaque optime explicare.

Isocrates ad Nicocl. de Reg.

Digitized by Google

POLYMATHIÆ

PARS PRIMA.

QUONIAM nobis Polymathiam hanc noſtram iuxta ſeverioris Criticæ Artis regulas tractare in animo eſt, non abs re idcirco ducimus nonnulla in anteceſſum de Critica ipſa diſſerere: peculiares dein, aptoſque Canones pro Facultatibus cæteris daturi.

CAPUT I.

De Artis Criticæ Origine, & Progreſſu.

QUUM omni ætate acria fuerint ingenia, quæ & iudicium ferre, & vera a fabuloſis ſecernere valerent, idcirco illis non ſubſcribimus, qui apud Dionem Chryſoſtomum (1) putarunt ab Ariſtotele Peripateticorum ſectæ Principe Criticem initium

A ha-

(1) Orat. 3. de Hom.

Digitized by Google

habuiſſe ; præſertim quum Apollodorum Cumanum primum Critici nomen ſuſcepiſſe , & Grammaticum (*a*) appellatum eſſe referat Clemens Alexandrinus (1) : Nonnulli , eodem , Clemente teſte , Eratoſthenem Cyrenœum , qui a duobus libris , quos *Grammaticos* inſcripſit, Grammaticus nominatus eſt , huius Artis Principem volunt .

Praxiphanes vero Mitylenæus , nec non Zaleucus Locres primi de exercenda Facultate hac Leges tuliſſe dicuntur ; Quare unum illud cum Voſſio (2) Ariſtoteli tribuimus , eius temporibus facultatem hanc magis, quàm antea viguiſſe .

Ante Ariſtotelem igitur qui Poetarum carmina

(*a*) Duplex erat Grammaticorum genus : Alii primis elementis pueros imbuebant , quod minimi habebatur , & Calcalonum , ſeu Cauculonum nomine dicebantur , ut eſt in veteri Epigrammate (3)

Indoctus teneram ſuſcepit Calculo pubem
Quam cogit primas diſcere litterulas

Litterarum primos informatores eos nominat Tertullianus (4). Aliud eorum eſt , de quibus Seneca (5) : *Grammaticus* , ait , *circa curam ſermonis verſatur , & ſi latius evagari vult circa Hiſtorias , iam ut longiſſime proferat fines ſuos circa carmina* .

(1) Lib.1.Strom.p.309. (2) In Ariſt.lib.1,cap.6.
(3) In Pithæi Catalect. lib.IV.
(4) De Pallio cap.v. (5) Epiſt. 68.

Digitized by Google

mina emendanda ſuſcipiebant, teſte etiam Varrone apud Diomedem, Criticorum nomine donabantur, ex quibus fuit Ariſtarchus ille Ariſtophanis auditor, qui non ſine nimiæ ſeveritatis, ne dicam arrogantiæ nota, novem libros de emendatione Iliadis, & Odiſſeæ conſcripſit, de quo Tullius (1) *Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat.*

At non in una Vocum, Syllabarum, & Concentus iudicio veterum detinebatur Critica, ait de Grammaticis loquens Quintilianus (2): *Hæc profeſſio quum breviſſime in duas partes dividatur, rectè loquendi ſcientiam, & Poetarum enarrationem, plus habet in receſſu, quam fronte promittit: nam & ſcribendi ratio quum loquendo eſt, & enarrationem præcedit emendata lectio, & mixtum his omnibus Iudicium, quo quidem ita ſeverè uſi ſunt Veteres Grammatici, ut non verſus modo cenſoria quadam virgula notare, & libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſubditititios ſubmovere familia permiſerint ſibi, ſed Auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint loco (a).*

(1) Lib. 3. ep. 11. ad Appium Pulchrum.
(2) Lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 4.
(a) Vide Voſſium de Art. Gramm. lib. 1. cap. 6.

Sciop-

Digitized by Google

Magnum profecto nomen ex hac arte ſibi compararunt Dio Chryſoſtomus Oratione, quæ inſcribitur *de Exercitatione dicendi*, ubi de Poetis, Hiſtoricis, & Oratoribus ſapienter iudicat; M. Terentius Varro ætatis ſuæ Romanorum doctiſſimus, qui de Lingua Latina, de Re Ruſtica, de Hiſtoriis & Annalibus, de Romanorum Familiis, aliiſque argumentis ſcripſit (*a*); Dionyſius Halicarnaſſæus, de quo Photius (1), qui eius de Antiquitate viginti Libros legiſſe teſtatur, in iis ſeipſum ſuperaſſe affirmat: Andronicus Rhodius, quem Ariſtotelis, & Theophraſti Libros in ordinem digeſſiſſe, ac ſingulis Summas præfixiſſe refert S. Hieronymus (2); immo ipſum inveniſſe Ariſtotelis ſcripta, ait Boetius (3). Dionyſius Caſſius Longinus, quem ut Criticorum omnium Principem Porphyrius commendat (4) & de quo Eunapius (5) *Ea tempeſtate*, inquit, *erat Longinus ſpirans quædam Bibliotheca, ac vivum*

Scioppium de ſcholar. rat. & de Art. Crit. Verulamium de Augum. Scient. lib. 6. cap. 4.

(*a*) Quinquaginta dediſſe Litterariæ Reipublicæ volumina ferunt, quorum argumenta collegit Verranius Maurus, qui ejus vitam edidit.

(1) In Bibliot. (2) Epiſt. ad Pammachium.
(3) Lib. 1. Comment. in Lib. Ariſtot. de Interpret.
(4) In Vita Plotini. (5) In Vita Porphyrii.

Digitized by Google

vum Muſæum, cui de veteribus iudicandi poteſtas permiſſa erat, quo munere ante illum, & alii non pauci, & Dionyſius e Caria cunctis illuſtrior perfunctus fuerat: & poſt pauca: *Quod ſi quis vetuſtum Auctorem aliqua in parte reprehendiſſet, non prius rata, ac firma habebatur ſententia, quam LONGINI illud confirmaſſet iudicium*: Hos inter connumerandus quoque eſt non ſine ſumma laude Tullius, qui & in Tuſculanarum Quæſtionum Libris de Philoſophis; de Oratoribus autem Hiſtoricis, & Hiſtoria aptam, ſapientemque profert ſententiam in Libris de Oratore, & in Bruto.

Vixit dein nono a partu Virginis ſæculo Photius Conſtantinopolitanus *Vir*, ut ait, Natalis Alexander (1) *Nobilitate inſignis, Taraſii quondam Patriarchæ Nepos, Sergii Patritii Frater, Protoſpatharii dignitate ornatus, & Legatus Imperatoris in Perſidem: tunc vero eidem a ſecretis Primus: Opibus potens, Ingenio, & ſæculari litteratura nulli ſecundus; ambitione tamen imporenti, ad quodvis audendum nefas paratiſſimus* (*a*): Nullum reipſa non tentavit ſcelus, ut extruſo e Patriarchali

(1) Hiſt. Eccl. ſæc. IX. Diſſ. IV. §. XXVIII.

(*a*) Photium in unitate Eccleſiæ obiiſſe putat Manuel

Conſtantinopolitana Sede Ignatio, eam ſibi vindicaret; At ſua non fraudandus eſt laude ab arte Critica, cujus & documenta poſteris mandavit non vulgaria ſcriptis ſuis (a) plane eruditiſſimis, præſertim Bibliotheca ab Andrea

nuel Calecas Græcus Auctor Orthodoxus (1) quod & Græci Schiſmatici nonnulli ſentiunt apud Allatium(2); Verum Allatius oppoſitum tenet, & probat, cui ſubſcribit Natalis Alexander (3).

(a) Dedit quoque Epitomen Actorum ſeptem Generalium Conciliornm Librum *Nomocanon* inſcriptum in decem & quatuor titulos digeſtum: Quadraginta octo Epiſtolas ſupra ducentas: Tractatus contra Leontium hæreticum, de quo meminit Suidas: Tractatus contra Latinos: Collectionem de Metropolitanorum Juribus: Commentarium in Ariſtotelis Categorias: Plures Homilias MSS.: Tractatus Scholaſticos per Caniſium latine redditos: Duos Libros de Proceſſione Spiritus Sancti: Quatuor contra Novum Manichœiſmum, qui in Augsbourgenſi, & Vaticana Bibliotheca aſſervantur; Adnotationes in Prophetas, quæ in Vaticana, teſte Moreri (4) extant: Commentarios in epiſtolas S. Paulli, qui in Bibliotheca Cantabrigii MSS. habentur &c. De his vide Prolegomena Bibliothecæ Andreæ Schot, & Cl. Colomiez &c. Diſſert. ſur les ecrits de Photius.

(1) Lib. 4. contra Gentes.

(2) Lib. 2. cap. 6. de Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis conſenſione.

(3) Hiſt. Eccleſ. ſæcul. IX. §. XXVIII. circa fin.

(4) Le Grand Dict. ver. Photius.

Digitized by Google

drea Schot latinitate donata, in qua ducentorum octoginta circiter Scriptorum fragmenta profert in medium, de iisque iudicium satis appositum pronunciat, eademque opera posterioribus Criticis facem quodammodo præfert.

Incuriæ profecto, aut invidiæ nota nemo nos liberaret hoc loci, si Criticos inter ævi sui eruditissimos missum faceremus Ioannem Picum Mirandulæ Comitem natum an. 1463. quem ut Naturæ portentum litterati viri demirati sunt universi. Hic enim Libros dedit de studio divinæ, & humanæ Philosophiæ: de Uno, & Ente: de Rerum Prænotione: de Imaginatione, seu Phantasia: de Hominis dignitate: Theoremata de Fide, & ordine credendi: de Platonis Convivio: de Astrologia: Libros sex de Examine vanitatis doctrinæ Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ: in tribus primis omnes Philosophorum sectas universe, reliquis Aristotelem impugnat Aristotelicis armis, quæ omnia, aliaque, quæ brevitatis caussa mittimus, quæque legi possunt apud du Pin (1), etiam nunc suspicit Litteraria Respublica. Fidem superat, quod exploratum habent, ac produnt passim Eruditi,

(1) Biblioth. Auct. Eccles. du xv. siecle.

Ipſum decennem adhuc Commentarios ſcripſiſſe in Ius Civile, ut præ cæteris teſtatur Baillet (1): octo, & decem annis nondum expletis, duas & viginti diverſas linguas calluiſſe: Quarto autem & vigeſimo Nongentas Propoſitiones Dialecticas, Phyſicas, Mathematicas, Theologicas, Magicas, Cabaliſticas ſummo ingenio publice ſuſtinuiſſe; At cum de Poſitionibus quibuſdam rumor, neſcio qui ſubortus eſſet, quod parum tutæ in Fide eſſent, Innocentius VIII. Pontifex Maximus eas doctis viris examinandas tradidit, ex quibus tredecim tantum ſuſpecta videri poterant: Quas Iuvenis Princeps apologetico, eruditiſſimo, nec brevi opere ſeptendecim noctibus elaborato ita illuſtravit, verumque earum ſenſum expoſuit, ut ab Alexandro VI. commendationem retulerit, quemadmodum ex epiſtola initio ſuorum Operum appoſita colligi facile poteſt. Iure igitur optimo Ingeniorum Phœnicem eum litterati viri nominarunt: atque *Monſtrum ſine vitio* Scaliger eum dixit. Obiit Florentiæ magno Litterariæ Reipublicæ detrimento, ætatis ſuæ 33. Anno Domini 1494., eo die, quo Carolus VIII. Florentiam

(1) Les Enfans devenus celebres par les Etudes. Iugement des ſçavans.

Digitized by Google

tiam eſt ingreſſus. Eius vitam ſcripſit Ioannes Franciſcus Picus Fratris Filius, quæ in fronte Operum Baſileæ an. 1573. editorum extat.

Suam quoque ab arte Critica laudem promeruit Deſiderius Eraſmus, Roterodamus a patria dictus, ubi anno a reparata Salute circiter 1467. ortum habuit, antea Gerardus Gerardi nominatus, primum Canonicus Regularis S. Auguſtini; deinde ex indulto Iulii III. & Leonis X. Sacerdos Sæcularis, magnam de ſe, ſuiſque Operibus inter litteratos viros controverſiam reliquit: Etenim ut Grammaticum eum habet Iulius Scaliger, qui duas quoque Orationes edidit contra Eraſmum Ciceronianum: Ut Innovatorem in Latinitate Paullus Iovius; ut Imperitum Græcarum litterarum (1) Valeſius, & (2) Marinus Victorius; Plagii eum redarguit Bayle (3); Clericus (4) Geographiæ ignarum appellat: Inter Semichriſtianos illum collocat Bellarminus (5); Poſſevinus cupit (6) eius nomen deleri ex omnibus Catholicorum ſcriptis; alii in-

(1) Not. ad Chryſ. in Paul. ad Hæbr.
(2) Præfat. ad Hieron.
(3) Diction. Ver. Eraſmus. (4) Art. Critic. p. 1.
(5) In Controver. (6) Apparat. Sacr.

Digitized by Google

inter Socinianos, & reipſa inter ſuos ſectatores Eraſmum numerat Fauſtus Socinus (1). Quamplures contra maxime ipſum commendant, ut Daniel Huetius (2) & Gerardus Voſſius (3), qui ut ſuæ Patriæ lumen prædicant. Dionyſius Petavius, Auguſtinus Calmet, Pius Thomas Milante, aliique Ipſum Catholica dogmata, quæ vivens ſequutus fuerat, morientem eſſe profeſſum putant: Profecto Eraſmus ipſe ad Cardinalem Campegium ſcribens inter alia hæc habet (4): *Primus Lutheri libros hactenus certe damnavi, quod viderentur ſpectare tumultum; a quo ſemper, & conſtanter abhorrui. Primus obſtiti, ne lucubrationes illius ederentur, pene ſolus omnium illius libros non legi; ſolus nihil umquam in illis ſum conatus defendere: ſemper hortatus ſum, ut qui poſſent, diſputarent adverſus Lutherum, ſcriberent adverſus Lutherum.... Quid mihi neceſſitudinis cum Luthero? Aut quid ab illo ſperem præmiorum, ut ab eo ſtare velim adverſus doctrinam Evangelicam, aut adverſus Eccleſiam Romanam, quam opinor a Catholica non diſſentire, aut adverſus Pontificem Romanum totius Eccleſiæ Principem, qui nec Epiſcopo meo peculiari velim adverſari? Non ſum tam Impius, ut*

(1) Epiſt. ad Franciſcum David.
(2) De Clar. Interpr. (3) De Hiſt. Latin.
(4) Tom. 3. Edit. Baſil.

Digitized by Google

ut dissentiam ab Ecclesia Catholica : Non sum tam Ingratus, ut dissentiam a Leone, cujus & favorem, & indulgentiam in me non vulgarem sum expertus.... Hæc pluribus ad te scripsi, ut si qui forte sunt isthic, qui me vocant in suspicionem, ne quid commovearis istorum calumniis, illud certissimum habens, ac persuasissimum, Erasmum & fuisse semper, & semper futurum Romanæ Sedis, cui scio me multis nominibus obligatissimum, cum primis studiosum (a).

Verum ipsum nec cum Lutheranis sensisse, nec cum Catholicis, sed Catholicam Ecclesiam cum Reformata jungere simul studuisse, ex iis, quæ ipsemet scribit, compertum nobis est : *Lutherana Tragedia*, inquit (1) *intolerabili illum* (Erasmum scilicet) *oneravit invidia ; discerptus est ab utraque parte, dum utrique studet consulere*. Et epistola ad Nicolaum Everardum : *Ego sedulo*, ait (2), *hortor utramque par-*

(a) Legi potest epist. 5. lib. 1. ad Leonem X. & epist. 47. 58. 59. Lib. 31., ex quibus ipsum acceptissimum fuisse Leoni X. Adriano VI. Clementi VII. & Paullo III. Summis Pontificibus (3), ut ex hujus ultimi præsertim epistolis (quæ inter epistolas Erasmi habentur) colligimus.

(1) Erasmi Vita ab Erasmo scripta.

(2) Apud Fayl. Dict.

(3) Epist. 3. & 4. lib. 23. epist. 25. 26. 28. Lib. 27.

Digitized by Google

partem, ut æquis conditionibus iungant fœdus, & insana prælia dirimant. Vis scire quantum proficiamus? Quantum solent ii, qui inter duos armatos ira, vinoque furentes intercedunt dirempturi, & utrinque vulnerantur. Ex quibus dubiam de sua Religione famam reliquit. Quamobrem caute legenda sunt (quibus per Sanctam Inquisitionem liceat) eius Opera. Omnia novem voluminibus comprehensa fuere, atque edita Basileæ primum per Frobenium: ex quibus Duo Priora, & Quartum ad Grammaticam, Rhetoricam, & Philosophiam pertinent. Tertium epistolas habet, quæ de rebus etiam Ecclesiasticis agunt. Quintum opuscula habet nonnulla pietatem insinuantia, utinam castigata satis, & ad Religionis Sanctimoniam exacta severius! Sextum Novi Testamenti versionem cum Adnotationibus. Eiusdem Testamenti Paraphrasis Septimo continetur: Octavum Tractatus nonnullos aliquorum Patrum Græcorum latine reddit: Nonum, quod mole est omnium maximum, Apologiam Auctoris contexit. Lugduni Batavorum amplior prodiit Erasmi Operum Editio, ubi ea, quæ in fronte Operis habentur ex ipsius Litteris, & vita excerpta sunt.

Summo conatu, acri satis ingenio, & au-

da-

dacter nimis Criticem exercuit Iulius Cæsar Scaliger Ripæ ad Benacum ditionis Veronensis natus anno 1484. Eum summopere commendant Huetius, & Lipsius (1), qui Homero, Hippocrati, & Aristoteli non comparant modo, sed his præferendum Iulium affirmant: Infensus tamen ipsi fuit præ aliis Hieronymus Cardanus, & Gaspar Scioppius, cui cum stomachum creasset, quòd genus suum a Principibus Scalæ, qui antiquissimum Veronæ Principatum obtinuerunt, non sine mendaci iactantia, deduceret, Libellum in ipsum dedit, quem *Scaliger Hypobolimeus* inscripsit, ex quo tantum cepit mœrorem Ioseph Filius (de quo mox), ut ab eo, si vera narrant, interierit. Plura scripsit Iulius (a); at maximi habentur Libri xv. contra Opus *de Subtilitate* Hieronymi Cardani. XIII. de Causis Linguæ Latinæ, Septem de Poetica, in quorum primo de Origine, Progressu, Fine, & Usu Poeseos agit: in

(a) Edidit Commentarios de Historia Animalium Aristotelis: de Libris Plantarum, quos Aristoteli tribuit: de Plantis, de quibus scripsit Theophrastes: de Insomniis Hippocratis: Orationes duas contra Erasmum Ciceronianum. Suorum Operum Catalogum habes in fine eius Vitæ.

(1) Epist. ad Vander Linden de script. Medic. In Chronic. Medic.

Digitized by Google

In ſecundo de hujus Artis materia : In tertio de Forma : In quarto de iis , quæ in anteceſſum ad Poeſim exercendam ſunt neceſſaria : In quintó , quem Criticam nominat , Poetas inter ſe , eorumque opera confert : In ſexto, quem Hypercriticum inſcripſit , Iudicium profert plurium Poetarum Recentiorum : Septimus,qui eſt *Epinomis*, explicationes complectitur , atque difficultates enucleat , quæ ex iis fortaſſe oriri poſſunt , quæ in prioribus libris diſſeruerat .

Summis laudibus dignus eſt ex hac parte Cæſar Baronius Neapolitanus Soræ natus anno 1538. Is Sacerdos Congregationis Oratorii a S. Philippo Nerio inſtitutæ immenſo labore Eccleſiaſticam hiſtoriam a Chriſto nato ad Innocentii III. ætatem , ad annum ſcilicet 1198. a Fabellis expurgavit , atque duodecim voluminibus tanto Litterariæ Reipublicæ plauſu complexus eſt , ut Eccleſiaſticorum Annalium Parens appellari, atque a Clemente VIII. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptari meruerit . Verum , ut Mortalium conditio fert , maxima præſertim aggredientium , via nondum pervia , humanæ potius imbecillitati, quam aut eruditionis, aut ſolertiæ defectui tribuenda , non pauca ſunt , in quibus offendit ; quip-

Digitized by Google

quippe quum primus ipſe immenſum hoc pelagus, & undique ſcopuli sconſitum traiicere conatus ſit : hac tamen arrepta occaſione Iſaacus Caſaubonus , Melchior Goldaſtus , Richardus Montacutius , aliique acri ſtylo (*a*) ejus Annales impugnandos ſuſceperunt : Verum Antonius Pagius ex Illuſtriſſima Franciſcanorum Familia , ne quid ſummæ tanti Operis utilitati quidquam officerent quæ ſparſim inciderant , quod in Chronologia peccatum a Baronio fuerat eruditiſſima diſſertatione Hypatica periodo ab ipſo Græco - Romana dicta , quod in Conciliorum numeratione , in Hæreticorum , Arianorum præſertim , Pelagianorum , Neſtorianorum , atque Eutychianorum erroribus exponendis , aliiſque huiuſmo-

(*a*) Quum Annalibus hiſce non aperiantur modo , ſed ex probatis Auctoribus refellantur mendacia , quæ ore rotundo Matthias Illiricus, Ioannes Vigandus, Matthæus Iudex , Baſilius Faber in Eccleſiaſtica Hiſtoria in Centurias diviſa Magdeburgi edita aſſeruere , idcirco ipſum mordere conati ſunt libro inſcripto *Antibaronius* , qui tamen nihil eſt aliud , quam Epitome exercitationum Caſauboni , adiectis nonnullis obſervationibus ; Caſauboni vero exercitationes in Baronium non excedunt annum trigeſimum quartum Chriſti . In Caſaubonum pro Baronio ſtetit Ioannes Heureux ſub nomine Eudemonis Ioannis , & Cæſar Bullenger .

Digitized by Google

modi Criticis adnotationibus emendavit, atque opus edidit inſcriptum *Critica Hiſtorico-Chronologica in univerſos Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Cardinalis Baronii*. Opus ab eruditis ſummo plauſu exceptum (*a*). Eruditas quoque dedit Baronius Adnotationes ad Martyrologium Romanum.

Inter primores ævi ſui Criticos numerandus eſt Ioſeph Scaliger apud Aginnum natus anno 1540.dum Julius Cæſar ejus Pater in Aquitaniam medicinæ cauſſa exercendæ ſe contulit. Plura dedit erudita, & magno plauſu a Litteraria Republica excepta; Adnotationes ſcilicet in Tragedias Senecæ, In Varronem, Auſonium, Pompeium Feſtum, in Catalecta vul-

(*a*) Baronii Annalium egregiam contexuit Epitomen, atque Hiſtoriam proſequutus eſt ad annum uſque 1638. Henricus Spondanus Apamiarum in Gallia Narbonenſi Epiſcopus. Quod ipſum egit Odericus Raynaldus ex eadem, qua Baronius, S. Philippi familia, cui quum prohibitus non eſſet ad Vaticanam Bibliothecam acceſſus volumina octo addidit, quibus eleganter, & accurate ea perſequitur, quæ ad dimidium uſque ſuperioris ſæculi evenerunt, magnoque eſt in pretio apud Criticos, teſte Cl. Duiat (1).

Nec minoris habentur Domini Hall Doctoris Sorbonici in Annales Baronii Adnotationes, ac Diſquiſitiones eruditiſſimæ.

(1) In Prælect. Canon.

Digitized by Google

vulgo Virgilio attributa. Sex item Libros de Emendatione Temporum: Adnotationes, & Canones Isagogicos in Chronicam Eusebii, elucubrationes nonnullas poeticas: At maxime commendatur opus *Scaligeriana* inscriptum, quod ea complectitur, quæ Ioannes de Vassan ex Iosepho excepit, atque in Adversaria fideliter retulit: quæ tanti habita fuere a Domino Dupuy, ut in Regia Bibliotheca asservari iusserit. Utinam tamen, nec tam magnifice de se, nec demisse nimis sensisset de aliis, ac præsertim de Patribus Ecclesiæ.

Magnum profecto non inter Theologos modo, sed inter Criticos etiam nomen est Robertus Bellarminus patria Politianus natus anno 1542. a Clemente VIII. ob insignem doctrinam S. R. E. Card. creatus, qui præter Commentaria in Psalmos, & vulgatissimos, atque pluries ubique editos Controversiarum libros, aliaque ingeniosa non pauca, atque erudita opera, de quibus meminit Alegambe (1), Librum dedit extrema ætate recognitum, expolitum, atque auctum, ut idem ipse in præfatione ad Lectorem adserit, de Scriptoribus Ecclesiasticis, in quo a Moise incipiens ad annum Christi 1500. de quadringentis Auctoribus, de eorum

(1) Biblioth. de Script. Soc. Jesu.

Digitized by Google

rum Genuinis, Supposititiis, atque interpolatis operibus tanta eruditione, atque acri iudicio differuit, ut ab ipsius sententia plerumque latum, ut aiunt, unguem discedere nefas ducant Cl. Viri: Postremæ editioni Venetæ, quam curatam novimus a doctissimo Viro Francisco Antonio Zaccaria, accessit dissertatio Philologica, & Historica Philippi Labbè super iisdem Scriptoribus, & supplementum de Scriptoribus, vel scriptis a Bellarmino omissis.

Sub idem fere tempus anno scilicet 1547. natus est in Iscano apud Bruxelles Municipio Iustus Lipsius plurium operum editor: Ea sex voluminibus comprehenduntur, scilicet Historica Sacra, Historico Romana, & Externa, Politica, Ethica, Apologetica, Epistolæ. Maximi habitus est in Republica Litteraria, ac præcipue a Beyerlinck, Meursio Laurentio Crasso, Domino de Thou, nec non Domino de Teissier, qui omnium eius operum catalogum dedit (1); Verum cum sua sibi iactantia plurimorum conflaverit invidiam, ea de re in græcis litteris vix mediocriter versatum dictitarunt: immo & Plagii apud Rempublicam Litterariam accusarunt, quod plurima

(1) Addit. aux hommes sçavans- D. de Thou.

Digitized by Google

ma ex Franciſco Patricio in ſuum de Romana Militia librum inſeruerit: quod ex Petri Fabri ſemeſtribus ſua Saturnalia exprompſerit: quod Commentarios in Tacitum a Mureto, aliaque ex Honuphrio Panvinio deſumpſerit. Fuſe hæc apud Thomaſium (1) & Moreri (2): Eius vitam edidit Cl. Aubert Le Mire.

Cynicis potius, quam Criticis apponendus eſt Gaſpar Scioppius in Franconia natus 1556. quippe qui eruditorum nemini parcat, omnes adlatret, omnes arrodat: Ipſum ſi audias Thraciam ſapit barbariem Phœdrus, Mithologus nempe ille politus adeo, ac pictus: Soleciſmis, ac Barbariſmis non vacat Princeps Romani Tullius eloquii: ex his coniicito cætera. Libros quatuor edidit Veriſimilium, Suſpectarum Lectionum Libros quinque: Adnotationes Criticas in Phœdrum, Commentarium de Arte Critica: & præter librum *Scaliger Hypobolimeus* inſcriptum contra Scaligeros, auſus quoque eſt in Henricum IV. calamum acuere libro *Eccleſiaſticus* inſcripto, & in Iacobum I. Angliæ Regem, cui tamen dignas ſuæ arrogantiæ pœnas fuſtibus dedit. Qui

(1) De Plagio Litter.
(2) Le Grand dictionaire Hiſtorique. Ver. Lipſius.

Digitized by Google

plura de Scioppio velit, adeat Baillet (1), & Freherum (2).

Magnum ſibi nomen ab eruditione comparavit Gerardus Voſſius Ruremundæ in Palatinatu Vildebergenſi natus 1577. Plura erudita poſteritati reliquit, inter quæ opus de Origine Idololatriæ, Iudicium de Hiſtoricis, nec non de Poetis tum Græcis, tum Latinis: De Scientiis Mathematicis; de quatuor Artibus popularibus: Inſtitutiones Rethoricæ, Grammaticæ, ac Poeticæ: His addidit Hiſtoriam Pelagianam: Theſes Chronologicas: Etymologicon Linguæ Latinæ: de Vitiis ſermonis.

Summo in honore apud Litteratos omnes habitus ſemper fuit Dionyſius Petavius Aurelianenſis natus 1583. In lucem edidit verſionem operum Syneſii cum adnotationibus: ſexdecim Themiſtii orationes cum notis, & animadverſionibus: Breviarium Hiſtoricum Nicephori cum notis Chronologicis: Opera Epiphanii cum adnotationibus: Appendicem ad Epiphanianas animadverſiones: Opera Imperatoris Juliani: Miſcellaneas exercitationes adverſus Claudium Salmaſium: Uranologiam: Paraphraſim Pſalmorum, & Canticorum:

(1) Les Enfans devenus celebres par les ètudes, & Jugement des Sçavans. (2) In Theatr.

Digitized by Google

rum: Diatribam de potestate consecrandi: Orationes, atque opera poetica Latina, Græca,& Hebraica: Opus de doctrina Temporum, Rationarium Temporum, Dogmata Theologica, aliaque tanto ingenio digna, in quibus merito extollendis eruditissimi quique certatim versantur: Norisius quidem: *Petavius*, inquit, *Vir omnium diligentissimus, cui in rebus Chronologicis nemo par, aut secundus hoc sæculo opponatur. In doctrina Patrum versatissimus, insignis Theologus*. Ioannes autem Clericus (1), *Petavius*, ait, *accuratissimus Chronologicorum*: Acta Lipsiensia (2) *Opus prorsus stupendum sunt eius dogmata*. Idem habet Muratorius (3), aliique (*a*).

Verumtamen quod summis viris numquam fere deesse solet, nec Petavio defuit, ut calumnias, convicia, fabellas in ipsum aggererent: Etenim cum iuxta severioris Criticæ leges suam protulerit de nonnullorum Patrum dictis sententiam, quod scilicet non satis exacte mentem suam de Trinitatis Mysterio loquen-

(1) In comment. Hist. univ.
(2) In supplem. tom. VII. an. 1621.
(3) Riflessioni sopra il buon gusto.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE ROMA

(*a*) Vide eius vitam ab Henrico de Valois exaratam, ubi quid Litterati viri de ipso senserint fuse refert.

Digitized by Google

quentes explicarint, ſed Platonicis vocibus retentis a communi loquendi modo diſceſſerint, mirum quot in ipſum effuſæ contumeliæ! Eum inter Socinianos Corcelleus (1), Clericus (2), Jurius (3) connumerant. Ipſum in ſententiam de Fide Antinicænorum a Grotio ſui amiciſſimo adductum eſſe, atque alia his ſimilia in Proœmio Libri inſcripti: *Defenſio Fidei Nicænæ* Bullus habet: Ipſum quoque criminantur Ballerinii in *Prolegomenis Zenonianis*, quod tribus capitibus Lib. I. de Trinitate docuerit Antenicænos Patres parum accurate de Trinitate loquutos eſſe, horum Patrum ſententias toto in lumine expoſuerit, & nullam ſubiecerit harum loquutionum interpretandarum rationem: ex quo factum eſſe, inquiunt, ut Recentiores Hæretici horum Patrum teſtimonia in medium pro ſuis erroribus proferant, quodque Petavium ipſum ſuorum errorum ducem habeant.

At Quantum virum quam immerito carpant inde ſatis liqnet, quod Petavius toto Libro tertio Crellium, alioſque Recentiores Photinianos Hæreticos confutaverit, quod apertiſſime,

(1) In Append. 17. diſſert.
(2) In comment. in illud Joannis: *Hi tres unum ſunt.*
(3) In Lib. inſcript. Tableau dou Socinianiſme.

Digitized by Google

ſime, diſſertiſſimeque Patres illos *non Re*, ſed *Inquendi dumtaxat modo* a cæteris diſſenſiſſe: De Re autem ipſa eorumdem Patrum miram cum cæteris conſenſionem indubiis, loculentiſſimiſque ipſorummet teſtimoniis comprobavit: Summam proinde fidem ab Adverſariis iure optimo, ſi ſanæ mentis forent, iuxta ſanioris Criticæ leges merebatur Petavius; tum quia nullo partium ſtudio Patrum ſententias expendit; tum quia productis eorumdem teſtimoniis luce ipſa clarioribus Autenicænorum Patrum diſſenſum fuiſſe verbo tenus, evicit. Inepte porro Petavii interpretationes requirunt ad hæreticos de vero Patrum ſenſu erudiendos: Enim vero ſi Petavium ipſum corruperunt, quod feciſſe Iurium, teſtatur Boſſuetus, quid catholicis eius interpretationibus ſperandum erat?

Vindices tamen habuit ſuæ famæ Petavius Boſſuetum (1), Mairanum (2), Adamum (3), & nuperrime Franciſcum Antonium Zaccaria (4).

(1) In prima adnot. ad Poteſt.
(2) In Libro Inſcripto Divin. Dom. N. J. C.
(3 In Florentino Doctorum virorum Diario.
(4) In Lib. de Trinit. operum Petavii ab ipſo Cl. Zaccaria recuſo.

Digitized by Google

Heribertus Roſvveidus Ultraiectinus natus 1669. non mediocris famam ſibi eruditionis nactus eſt editis S. Paulini operibus, ſuis adiectis adnotationibus ſane eruditis: Prato Spirituali Ioannis Moſchi, aliorumque Auctorum, necnon ingenioſa Diſquiſitione, qua contendit Thomam a Kempis Auctorem eſſe Libelli *de Imitatione Chriſti*. Hic Aliquorum Sanctorum Acta ad examen criticum revocare cœperat; verum morte præventus imperfectum opus reliquit.

Omnium vero Sanctorum Acta ad exactioris Criticæ leges referre in animo fuit Ioanni Bollando Belgæ Tillemontii nato 1596.(*a*). Maius longe opus tentatum antea nemini, omnibus maxime expetitum is aggreſſus eſt. Ab eius nomine, qui cum eo manum tanto labori admoverunt, & qui deinceps ſubierunt *Bollandiſtæ* vulgo dicti ſunt (*b*). Iis profecto una veritas cordi eſt, quod & calamo fatentur, & reipſa abunde præſtant: Quippe diſcuſſis iuxta Critices canones factis hiſtoricis, & editis iam libris, ſi quid in oppoſitum occurrat, quod vel ipſos effugerit, vel diligentiori adhibita perqui-

(*a*) Joannis Bollandi vita extat 3. tom. Martii.

(*b*) Inter hos numerantur Godefroy, Henſchenius, Papebrochius, Cardon, Baert, Ianingius, Sollerius.

Digitized by Google

quisitione ad eos pervenerit, summa sinceritate idipsum sequentibus libris addere, & palinodiam canere non dubitant. Quod factum reipsa esse legimus: Quum Cl. Ioannes Mabillon lib. 3 commendatissimi operis *de Re Diplomatica* canones reiecerat, quibus doctiss. simus Daniel Papebrochius Antiqua Diplomata, aliasque huius generis Scripturas dignosci posse contendebat: *Considerans*, inquit, *Mabilio quanti ad Historiam momenti Res diplomatica sit argumentum a me exiguo Tractatu delibatum non satis feliciter, proprio, prolixoque opere tractandum sibi ab ovo sumpsit annoque post editum Aprilem sexto, Christi 1681. regiæ molis, ac maiestatis volumen edidit, tabulisque grandibus, & insignibus 70. instruxit, quo & causas exposuit vitiatorum sæpius diplomatum, & certiores vias ipsa discernendi tradidit, ac denique lib. 3. cap. 1. ipsorum, ex quibus ego processeram, vitia, mihique inobservata retexit, eoque rem adduxit, ut præ gaudio, & admiratione magna inventæ ab Amico, ad quam ego frustra adspiraveram, veritatis nihil iam pensi facerem Horrensis figmenti falsitatem detectam feliciter a me fuisse, multaque observata, & plenæ luci exposita, quæ ego solum ex parte videram, & certius confirmari merebantur. Quare mox ut librum perlegi, vehe-*

men-

Digitized by Google

mentemque probavi, nulla interpoſita mora, amico ſcripſi gratulabundus. Et quoniam San-Dionyſiani Archivii dignitati, ac fidei nonnihil videbar detraxiſſe, ipſas meas litteras communicari eruditis eius ſociis volui, ut per eos omnibus innoteſceret quam minime cæcus eſſem mearum lucubrationum æſtimator, quamque nihil carius haberem veritate, etiam cum aliquo honoris mei diſpendio monſtrata. Cui Mabillonius in epiſtola ipſi data, poſt aliqua: *Quotus enim*, inquit, *quiſque eruditorum eſt, qui in litterario conflictu victum ſe agnoſcat, & agnita veritate priorem ſententiam incunctanter deponat, atque id palam omnibus teſtatum velit? Tu vero facis ultro, & tam amice, ut ſi aliunde te non noſſem ſtatim intimo amore complecterer.*

Item ſcripſerat tom. I. Aprilis in Appendice ad Acta B. Iulianæ de Officio pro feſto Corporis Chriſti Urbani IV. iuſſu per S. Thomam compoſito, S. Thomam ex antiquo Leodienſi officio fere accepiſſe totum quod Eccleſiæ obtulit univerſæ legendum, mutato duntaxat partium quarumdam ordine, ſuppleto defectu hymni unius ad Matutinum, reſciſſis ſuperfluis, & expolito, ut ſibi videbatur ſtylo. Redein melius diſcuſſa, penſatiſque rationum momentis, quæ pro oppoſita parte oblata ipſi fuere a

Pa.

Digitized by Google

Patribus Prædicatoribus, in eorum ſententiam pedibus ivit, qua de re loquens hæc habet: *Paratus ſum ſimilem ſatisfactionem quibuſcumque aliis dare, ſicut iam pluribus caſibus dedi, quando pro iis viderim veritatem ſtare; contra hanc nihil poſſum, nec volo; hanc quiſque ad cauſſam non attulerit, multiplicatis quantumvis libellis, ſchediſque famoſis efficiet nihil, niſi ut tacitus compatiar incauſſum ſe torquenti, & cauſſam, pro qua pugnat ex mala peiorem facienti.* Neminem Bollandiſtæ ſilentio contemnunt, ſed ſi in oppoſita ipſi ſint ſententia, expoſitis pene ad verbum Adverſariorum argumentis, additiſque ſuis reſponſionibus, utraque publici iuris faciunt: Ita ſe geſſiſſe Danielem Papebrochium, & Conradum Ianingum cum P. Sebaſtiano a S. Paullo Carmelitani Ordinis, & Ioannem Baptiſtam Sollerium cum PP. Montfauconio, & Bovillarto eruditiſſimis Benedictinis conſtat ex Supplementis Apologeticis ad Acta Bollandiana. De quo opere omittere non eſt iudicium, quod ex actis Eruditorum Lipſienſium refert Vir Cl. Honoratus a S. Maria (1), quod ſic habet: *Recondita, atque ampliſſima eruditio, perſpicax intelligentia, labor aſſiduus horum illuſtrium Ieſuitarum perſpicua ſatisfiunt conſide-*

(1) Diſſert. 1. tom. 1.

Digitized by Google

ſideranti, ipſos in diuturno hoc, moleſtoque opere factorum in cuiuſque Sancti vita relatorum veritatem ad trutinam revocaſſe, obſcuros textus eruditis adnotationibus explanaſſe, difficultates chronologicas expediviſſe, pluraque alia perficiendo huic operi neceſſaria addidiſſe. Quantum denique in Critice accurationis eſſe poteſt, tantum ipſi ad vera, & falſa monumenta internoſcenda traduxerunt Miraberis in eo exquiſitam, quo ad infinitos pene, de quibus loquuntur regionum, & factorum inquiſitionem, multa minutatim narrata, quæ antehac apud Hiſtoricos compendio tantum legebantur; habitam mentionem complurium Principum, Epiſcoporum, Provinciarum, Urbium, & Monaſteriorum, quæ numquam fando pene audita fuerunt, quum neque hactenus editæ fuerint non paucæ huius collectionis vitæ: Apponuntur tandem multæ tabulæ Alphabeticæ, quarum aliquæ ad Hiſtoriam, & Geographiam, aliæ vero ad nomina propria, reſque pertinent. Ex quibus univerſe licet coniicias Acta Sanctorum eodem tempore abſolutam Eccleſiæ, omniumque fere Regnorum Orbis noti hiſtoriam complecti. In fronte cuiuslibet Tomi nonnulla reperies Opuſcula, & Tractationes ſcitu, & animadverſione dignas, neque antea typis commiſſas.

Floruit quoque ſub idem tempus Sixtus dictus Senenſis, quod Senis in Hetruria natus ſit

Digitized by Google

ſit anno circiter 1600. Hebræus fuit genere (1). Adoleſcens ad Chriſti fidem converſus Ordinis Minorum regulam profeſſus eſt: Auditor fuit Ambroſii Catharini, ut idem ipſe (2) aſſerit. In errores aliquot incidit, a quibus illum revocavit Sanctiſſimus Vir Michael Ghislerius ſupremæ tunc Inquiſitionis Generalis Commiſſarius, dein Summus Pontifex Pius V. Hic a Iulio III. tunc Pontifice Maximo obtinuit ne pœnas, quas daturus erat, ſubiret, & ut mutato priſtini Minorum Inſtituti contubernio in ſuum (Prædicatorum ſcilicet) Ordinem cooptaretur. Ex quo iuxta ſuſcepti recens Ordinis Inſtitutum ad Animarum ſalutem incumbens laboribus, ac ſcriptis Eccleſiam Catholicam illuſtravit; Verum extot, quot meminit ipſe (3), nullum extat: quippe lethaliter decumbens, quum ſuo iudicio non matura prælo eſſent, igni tradidit: Quæ ſuperſtes eſt eius Bibliotheca Sancta octo libris dividitur. In I. de Divinis utriuſque Teſtamenti Libris, de Auctoritate, & Tempore, quo ſcripti fuerunt, agit. In II. ſcripta commemorat tam quæ extant, quam quæ perierunt:

(1) Jacobus Echard. Ordin. Prædic. tom. 2. Biblioth. Script. Ordinis. (2) Lib. IV. Biblioth.
(3) Biblioth. lib. IV.

Digitized by Google

runt: Apocrypha recenſet, & aliqua obſcura in Sacris Bibliis explanat: In III. ſexaginta modos, quibus Auctores ſcripturam explanarunt, aptis regulis, appoſitiſque exemplis in ordinem digerit: In IV. Catalogum exhibet Auctorum, qui divina volumina interpretati ſunt: In V. & VI. habet Adnotationes & cenſuras in Interpretes, & Expoſitores Veteris, & Novi Teſtamenti: In VII. Hæreticos refellit, qui Novi Teſtamenti volumina oppugnarunt: In VIII. Hæreſes adverſus ſingulos Veteris Teſtamenti Libros evertit (a).

Criticæ Artis laude ipſe etiam floruit Joannes Launoius Valoniæ in Normandia natus anno a partu Virginis 1603. Ingenioſe ſcripſit de vi Argumenti Negativi contra Theophilum Raynaudum, cui eruditiſſime reſpondit Theophilus opere inſcripto *Hercules Commodianus*, & Launoio-maſtix; iterumque repoſuit Launoius, eodem, quo Theophilus deceſſit an-

(a) Huic Bibliothecæ Auctarium acceſſit Illuſtriſſimi Pii Thomæ Milante Stabienſis Civitatis Epiſcopi ex doctiſſima S. Dominici familia Sacrorum Scriptorum, quos Sixtus omiſit. Bibliothecæ non ultimam manum addidiſſe, ſed multa poſteris addenda reliquiſſe addit Poſſevinus, nec abnuit Milante. Vide Simonium lib. 3. cap. 17. Hiſt. Critic. Veter. Teſtam.

Digitized by Google

anno (*a*). Opus vulgavit de Varia Ariſtotelis in Academia Pariſina Fortuna: Duas de Auctore Vitæ S. Mauritii Diſſertationes: De Hiſtoria Renati Andegavenſis: De recta Canonis VI., & prout a Ruffino explicatur, intelligentia: De vero Auctore Fidei Profeſſionis, quæ Pelagio &c. tribui ſolet: De mente Concilii Tridentini circa ſatisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ: De veteri ciborum delectu in ieiuniis Chriſtianorum: Iudicium de Auctore Librorum de Imitatione Chriſti: De duobus Dionyſiis: De commentitio Lazari, Magdalenæ, Marthæ, ac Maximini in Provinciam appulſu: De vera cauſſa ſeceſſus Sancti Brunonis in deſertum: Hiſtoriam Renati Epiſcopi Andegavenſis, & Victorini: De Concilio, in quo Donatiſtæ damnati fuere: De B. Simone Stokio: De Sabatinæ Bullæ privilegio: De Scapularis Carmelitarum Sodalitate: Inquiſitionem in privilegia Ordinis Præmonſtratenſis: Inquiſitionem in chartam Immunitatis, quam B. Germanus Epiſcopus Pariſienſis Suburbano Monaſterio dediſſe fertur:

(*a*) De vi Argumenti Negativi egimus in noſtra Diſquiſitione VI., ubi Canones expoſuimus, atque exemplis illuſtravimus, quibus datis circumſtantiis in factis Hiſtoricis vim habere debeat.

Digitized by Google

tur : Inquiſitionem in Privilegium , quod Gregorius I. dediſſe fertur Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis : De cura Eccleſiæ pro Sanctis , ac Sanctorum reliquiis : Traditionem circa Simoniam . Caute his legendus , quippe ab antiquis Traditionibus abhorret : Totus eſt in Auctoritate Sulpicii Severi , & Gregorii Turonenſis , Audax in ferenda ſententia , Criticis legibus non raro abuſus eſt , levibuſque coniecturis quamplures e Sanctorum albo expungendos cenſuit. Præterea de Angelico Doctore minus honorifice ſcripſit, cui etiam Theologicam Summam (*a*) magna ex parte abiudi-

ca-

(*a*) Duobus potiſſimum argumentis quidam abiudicant S. Thomæ Summam Theologicam . Primum eſt (in quo totus eſt Launoius) , quod recenſens Clemens VI in ſermone de D. Thoma eius opera de Summa hac Theologica non meminerit , ut ex vetuſto Codice Domini Tellerii Eccleſiæ Rhemenſis Archipræſulis liquet .

Alterum eſt , quod Secunda Secundæ iiſdem verbis congruit cum iis , quæ Libro Tertio Speculi Moralis ſcripſit Vincentius Bellovacenſis : & quum Vincentius ante D. Thomam obierit (obiit enim Vincentius anno 1206. ; D. vero Thomas , qui in extrema pene ætate Theologicam Summam ſcripſiſſe dicitur , 1274.) non Vincentium a D. Thoma , ſed D. Thomam a Vincentio ipſam tranſcripſiſſe contendunt.

Neu-

Digitized by Google

cavit. Denatus eſt Pariſiis anno 1716. ætatis ſuæ 77. Funebrem porro titulum illum: *Veri-*

C *tatis*

Neutrum tamen tanti eſt, ut probet Summam non eſſe D. Thomæ genuinum opus. Etenim multiplex cauſſa eſſe poteſt cur eam Clemens VI. non recenſuerit; potuit ea memoria excidiſſe: potuit iudicare ſuperfluum eſſe opus illud commemorare, quod nulli non erat cognitum: præſertim quum Pariſienſis, atque Salmanticenſis Academiæ illam ut D. Thomæ genuinum opus habeant: quæ etiam Patrum Tridentini Concilii fuit ſententia, qui ſeſſ. 22. ſuperſedere decreto, in quo Apoſtoli dicebantur Sacerdotes conſecrati in ultima Cœna, quia unus Patrum reclamans affirmarit oppoſitum legi in Summa Theologica D. Thomæ.

Cæterum turpiter deceptus eſt Launoius: In Sermone quippe Petri Rogerii, de quo ipſe loquitur in Codice Telleriano qui incipit: *Vir Dei*, hæc habentur: *Scripſit tam ſuper ſententias, quam alias quæſtiones ſexdecim volumina, ſcilicet quatuor ſcripta ſuper ſententias*: Quatuor Libros in Summa: *Contra Gentiles*: *Quæſtiones de veritate*: *Item Quæſtiones de Potentia*: *Item Quæſtiones de Anima*: *Item Quæſtiones de Virtutibus*: *Item Quæſtiones de Spiritualibus Creaturis*: *Item undecim Quodlibeta diſputata*. Quare ſi attendiſſet interpunctionem diligentius, pervidiſſetque duo Puncta poſt verba illa. *In Summa*, quæ in Oratione illa MSS. extare, ſe vidiſſe teſtatur diligentiſſimus Echardus, ſenſum ſane non confudiſſet, neque ex levi hac coniectura Summam Theologicam D. Thomæ denegaſſet. Quod ſane eruditiſſimi Echardi aſſertum vel

ex

tatis Perpetuus Assertor, quam Fautores inscriptum tumulo volebant, repugnantes merito alii

ex eo firmatur, quod in eodem Telleriano Codice & alius extat Sermo ab eodem Petro Rogerio habitus in Parisiensi Fratrum Prædicatorum Templo S. Iacobo dicato (de quo ne verbum quidem facit Launoius), cuius initium est: *Ecce plus quam Salomon hic*, ubi hæc leguntur: *In Theologia quatuor scripta super sententias, post tres summas, quarum scientiam tractantem de Virtutibus in duas divisit, fere loquentes de omni materia subtilissime composuit*. Quid luculentius! *Postea de Veritate, & Potentia Dei: De Malo: Contra Gentiles: Quælibeta etiam determinavit*. Adde tandem, quod in Summa citatur id, quod in Commentariis in IV. Sententiarum dicitur: Quæ Commentaria ab ipso Iuniore scripta sunt, ut vel ipso suffragante Clemente, D. Thomæ sunt Opera.

Ad secundum respondet Bellarminus (1), Speculum Morale non esse Vincentii Bellovacensis, sed alterius eiusdem nominis Auctoris D. Thomæ posterioris, qui partem illam ex Secunda Secundæ desumpsit, cuius rei argumento est, quod stylus speculi Moralis sit multo gravior stylo speculi Doctrinalis, Naturalis, & Historici, quæ Bellovacensi certo tribuuntur.

Accedit, quod in Secunda Secundæ ea citantur, quæ in prima parte sunt dicta, inter quæ illud est q. 9. art. 3. ad 3. *Cognitio Beata non fit per speciem, quæ sit similitudo Divinæ Essentiæ, ut patet ex iis, quæ in part.* 1. *dicta sunt q.* 12. *art.* 2. Quis autem hic non agnoscat morem Scriptorum ad sua semet opera identidem referentium? Aut quis in animum inducat,

(1) De Script. Eccles. scri-

Digitized by Google

alii denegarunt, nec iniuria seſe oppoſuerunt candidiores litterati viri; quippe in plurimis

 ipſe

ſcriptam prius fuiſſe Secundam Secundæ, in qua de Prima Parte, tamquam de præcedenti operæ ſit mentio?

Neque illud omittendum, non adeo certum eſſe Bellovacenſem ante D. Thomam vita exceſſiſſe, quum in Speculo Naturali, quod ſane Bellovacenſis eſt, aperte nominet, ac citet D. Thomam de Aquino in Secunda Secundæ q. 175. art. 1. arg. 1.

Præterea Ordo, Brevitas Nitor mire cum aliis partibus Summæ D. Thomæ congruunt, diſcrepant vero quammaxime a Speculo Morali Bellovacenſis: In ſpeculo enim modo ſervatur Ordo D. Thomæ, modo reſponſiones interiiciuntur obiectionibus, modo præmiſſis omnibus ad ſingula reſpondetur: Quin imo 114. quæſtionibus, quibus Prima Pars Partis Secundæ conſtat, triginta ſeptem in Speculo Morali non leguntur: & ex quæſtionibus 189., quas Secunda Pars Partis Secundæ complectitur, triginta quatuor deſunt in Speculo Morali.

Ex indubiis tandem, & antiquis MSS. (quæ talia eſſe docte, eruditeque laudatus Cl. Echardus demonſtrat) aperte colligitur, Bellovacenſem Speculum Morale nullo modo elucubraſſe, ſed tantum Naturale, Doctrinale, Hiſtoriale. Quod firmari etiam poteſt, quod hæc in ſtylo, ordine, atque Auctorum allegatione examuſſim ſibi reſpondeant, non ita Speculum Morale.

Hæc innuiſſe hic ſufficiat. Qui plura de his velit adeat Natalem Alexandrum in opere inſcripto: *Summa*

Digitized by Google

ipſe non veritatis ſtudio, ſed diſputandi rixandive libidine actus, unam veluti opinionum ſingularitatem, novitatemque eſt proſequutus.

Sine hæſitatione etiam aſſerere eſt auſus ultimam partem decreti Seſſionis V. de peccato Originali, in qua dicitur: *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones Fælicis Recordationis Xiſti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innovat*; non a Patribus Tridentinis, ſed ab editoribus Concilii appoſitam fuiſſe, quippe eam deeſſe dicat in editionibus 1546. 1551. 1555.

Qua in re, etiamſi a nota, quam ipſi, vel editori eius operum iure optimo Benedictus XIV. (1) appinxit, vel Launoium ſcilicet, vel illum qui Tractatum notis auxit impu-

ma S. Thomæ Vindicata, & eidem Angelico Doctori aſſerta, contra præpoſteram Joannis Launoii Pariſienſis Theologi dubitationem. Item Jacobum Echardum in Apologia inſcripta: *S. Thomæ Summa ſuo Auctori Vindicata*. Ac Bernardum Mariam de Rubeis initio ſecundæ Partis Summæ noviſſime ab ipſo editæ.

(1) De Feſtis Domini noſtri I.C., & B. M.V. lib. 2. c. 15. de Feſto Concept. B.V.

Digitized by Google

pudentiſſime, turpiſſimeque mentitum eſſe, abſtinere velimus; facere tamen nullo modo poſſumus, quin aſſeramus, ex nimia facilitate ferendi iudicii in exercenda Critica turpiſſime deceptum eſſe, cum clariſſima adſint rationum pondera, quæ oppoſitum non dicam probent, ſed luculentiſſime demonſtrent: extant enim verba illa in Actis Concilii Autographis, quæ Romæ aſſervantur; in exemplaribus editis, & a Maſſarello, qui in Concilio a Secretis erat, recognitis: Extant in editionibus ante annum 1564.: Ea commemorat Sotus, qui Concilio interfuit, in Commentariis in epiſtol. ad Rom. Antuerpiæ edito 1550., de iis meminit Catharinus in Tractatu de Immaculato conceptu Romæ 1551, additque eam decreti partem ſummo omnium conſenſu, ac plauſu exceptam fuiſſe. Ex quibus colligere potius debuiſſet Launoius, integras non eſſe, aut incorruptas editiones (ſi vere extant), quas ipſe profert (*a*).

Eruditiſſimum quoque opus reliquit Antonius Poſſevinus Mantuæ natus 1534. *Bibliothe-*

(*a*) Impetitum fuit hoc Launoii opus libro edito 1700., cui titulus: *Refutatio libri editi anno* 1676. *ſub nomine de Conceptione Deiparæ*. Vid. Natal. Alexand. Hiſt. Eccleſ. ſæc. 2. diſſert. 16. n. 21.

Digitized by Google

ea Selecta inſcriptum, atque in decem, & octo libros diſtributum, in quorum I. de Ingeniorum cultura fuſe agit: in II. de Scriptura Sacra, ubi de ſingulis ad eruditionem, ad interpretationem, & ad quæſtiones ſpectantibus, non omiſſa diverſitate Concordantiarum, & Paraphraſum, additoque Scriptorum, atque Interpretum Catalogo diſſerit: in III. de Scholaſtica, & Practica Theologia a primo eius ortu ad ſuæ ætatis uſque tempora: in IV. de Theologia Catechetica: in V. de Militum, & Clericorum Seminariis: in VI. de Ratione agendi cum Græcis, & Ruthenis: in VII. de Iuvandis Hæreticis: in VIII. de Theologia, & Atheiſmis Hæreticorum: in IX. de Iuvandis Iudæis, & Mahometanis: in X. & XI. de Ratione procurandæ ſalutis Iaponiarum, aliarumque Orientalium gentium. Tomo vero Secundo de Philoſophia generatim ſcribit, atque plura diſcutit ad eius originem, neceſſitatem, atque utilitatem pertinentia, de diverſis Philoſophorum methodis, atque opinionibus. Item Tractatione II. III. & IV. quidquid de Platonica Philoſophia, quidquid de Philoſophia Ariſtotelica dictum eſt, ingenioſe, atque erudite tradit: in reliquis vero de Iuriſprudentia, de Medicina, ac de Matheſi

Digitized by Google

theſi ſcribit : Librum XVI. in ſeptem ſectiones dividit, atque Apparatum ad omnium Gentium hiſtoriam proponit : XVII. libro Poeſim, & Picturam Ethnicam, & Fabuloſam cum vera, honeſta, & ſacra comparat : in XVIII., qui inſcribitur *Cicero* plura ad eruditionem facientia continentur.

Cum vero annis quadraginta inſigniores Europæ Bibliothecas perluſtrandi opportunitas oblata ipſi fuerit a Summis præſertim Pontificibus, qui ad res Fidei Catholicæ componendas, ad Principes, & Reges ipſum miſerunt, alios tres addidit codices, quos *Apparatus Sacer ad Scriptores Veteris, & novi Teſtamenti* inſcriptos voluit : in quo Apparatu Interprètes recenſet, refert Synodos, ac Patres Latinos, & Græcos, eorumque verſiones, Theologos item ſcholaſticos, nec non eos, qui contra Hæreticos egerunt ; Chronographos, & Eccleſiaſticos Hiſtoriographos : Eos, qui caſus Conſcientiæ explicarunt, quique Canonicum Ius ſunt interpretati ; Poetas ſacros, & libros pios quocumque idiomate conſcriptos. Primo tomo mille, & nongenti ; in ſecundo plures quam bis mille : tertio plures adhuc quam bis mille Auctores partim indicantur, partim expenduntur, quibus addidit Appen-

Digitized by Google

dices cum Catalogo MSS. codicum Græcorum, & Latinorum, alia quoque ſcripſit, quæ legi poſſunt apud Alegambe (1). Obiit Ferrariæ 1611.

Decimoſexto floruit ſæculo Honuphrius Panvinius Veronenſis Illuſtriſſimi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui Vitas Summorum Pontificum, ubi Platina deſierat accurate eſt proſequutus: Acute item Chronicon ſcripſit; de Primatu Petri: de Antiquo ritu baptizandi Cathecumenos: nec non de Origine baptizandi Imagines: Eruditiſſimos quoque libros de triumphis Romanorum: Commentarios de Romana Republica: de Faſtis Conſularibus: ac Libros quatuor de Imperio Romano, Græco, & Latino. In Parmenſi Bibliotheca, quam ſedulo, attenteque perluſtravit, Opera reperit Ioannis Diaconi, ex quibus plura de Pacifico Veronenſi Archidiacono, nec non de Antipatro Boſtreno Epiſcopo, quæ latebant, Reipublicæ Litterariæ innotuere. In hiſce præter ſingularem diligentiam, non vulgarem oſtendit eruditionem, & licet in aliquibus ipſum emendatum velint, nullus tamen eſt, qui in ipſo & ſinceritatem, & Fidem, & acre iudicium non commendet: de quo

(1) Biblioth. de Script. Soc. J.

quo non immerito Paullus Manutius (1) : *Ille Magnus* , inquit , *antiquitatis assertor , spectatæ Iuvenis industriæ & ingenio &c.* Et Ioseph Scaliger (2) *Onuphrius Optimus Vir* , ait , *& in cuius obitu omnes numeri Historiæ collacrymarunt* . Et Lipsius (3) *Onuphrius Verus Pater Principalis Historiæ , & Fastorum , & antiquitatis indagator solertissimus : Helluo Librorum, & qui solum ignorabat quod scire noluit* .

Primas omnium quotquot ætate sua floruerunt in Arte Critica tenuit Aloisius Sebastianus Le Naim de Tillemont natus anno 1617. Parisiis : Sexdecim Volumina de iis , quæ ad sex priora sæcula pertinent posteritati mandavit : Sex itidem de Imperatorum Historia miro digesta ordine , maturo elucubrata iudicio, sincera narrata fide . De ipso vero Tillemontio scripsit Cl. Canonicus Tronchai .

Inter eruditissimos Criticos recensentur quoque Isaacus Vossius anno a reparata salute 1618. Lugduni Batavorum , & Aloisius Tomassinus Presbyter Oratorii Gallicani Aquis Sextiis 1619. natus . Quorum primus Litteras S. Ignatii a mendis purgatas edidit : Dissertata-

(1) Lib. 2. epist. 4. ad Antonium Augustinum .
(2) Lib. 4. de Emend. Temp.
(3) In Panegir. Plinii .

Digitized by Google

tationes Philoſophicas Obſervationes in Geographos Scylacem, & Pompeium Mela: Obſervationes in Catullum: Tractatum de Origine Nili, aliorumque Fluviorum: Opus de Verſione Septuaginta Interpretum; Nec non de Sybillis: Librum variarum Obſervationum, ubi pene incredibilia refert de Romæ Antiquæ Magnitudine: Reſponſum obiectionibus de Nova Critica Domini Simonii, alioſque Tractatus. Apprime doctus græce, & latine ab eruditis præſertim æqualibus habitus eſt.

Alter Tomaſſinus ſcilicet methodum expoſuit pie diſcendi, ac docendi Philoſophiam, Hiſtoriam, & Poeticam, nec non Linguam Hebraicam ad Sacræ Scripturæ intelligentiam: His addidit Gloſſarium Græcum, & Latinum, Gloſſarium item Univerſale Hebraicum: Egit item de Unitate Eccleſiæ: de Eccleſiaſticæ Potentia: de Feſtis: de Communione ſub utraque ſpecie: de Divino Officio: de Ieiuniis, de Mendacio: de Conciliis: de Gratia, aliiſque argumentis: Catholica Dogmata tribus Voluminibus: ac totidem quidquid Patres, & Concilia de Veteri, & Nova Eccleſiæ diſciplina ſtatuerunt cum utriuſque Hiſtoria diligenter, ac perſpicue, nec rudi ſtylo comprehendit.

Prin-

Principem locum inter ævi ſui Litteratos viros tenuit Ioannes Mabillonius Maurinæ Congregationis Monachus, qui in Diœceſi Rhemenſi anno a partu Virginis 1632. ortum habuit. Hic nullis parcens laboribus maiorem Europæ partem peragravit, & quotquot extant in Bibliothecis Burgundiæ, Germaniæ, atque Italiæ MSS. vidit, ac ſummo ſtudio examinavit. 3000. rara Volumina & MSS. Regiæ Pariſienſi Bibliothecæ addidit.

Inter celeberrima, & plurima tanti Viri monumenta, quibus Litterariam Rempublicam locupletavit, illud imprimis Litterati Viri demirantur *a*) quod *de Re Diplomatica* inſcribitur, ubi ſex libris Rem univerſam mira eruditione abſolvit: In quorum Primo indicia tradit, & methodum ex quibus Foliorum Materia, Characterum Diverſitas, Scriptorum Antiquitas, aliaque huiuſmodi dignoſci facile poſſint: Exponit in Secundo ſtyli diverſitatem, ac varietatem ſignorum, quæ alia pro alia ætate Principes uſurpabant, Scripturas ſuo nomine

(*a*) Licet ante ipſum de hac egiſſet Daniel Papebrochius eruditiſſimus Bollandiſta & ſuos quoque ſtatuiſſet Canones: poſt Mabillonii tamen opus hac ſuper re, Papebrochius ipſe Mabillonio manus dedit, ut ſupra de Bollandiſtis agentes diximus, ubi ipſius Papebrochii litteras Mabillonio datas retulimus.

Digitized by Google

mine obſignantes: In Tertio Canones reiicit, quibus Daniel Papebrochius idipſum exponere ſtuduerat: In Quarto loca deſcribuntur, ubi Gallorum Reges ſua diplomata dare conſueverant: In Quinto ſexaginta Veteres Tabulæ exponuntur, quæ pro ſæculorum varietate varietatem quoque Scripturæ exhibent: In Sexto tandem firmat Mabillonius antiquiſſimis monumentis, quæ toto opere ſtatuerat.

At quoniam edidit Cl. Germon quatuor Diſſertationes *De Veteribus Regum Francorum diplomatibus, & Arte ſecernendi antiqua Diplomata vera a falſis*, de quibus cum Mabillonio non conveniebat, Mabillonius, quos in opere de Re Diplomatica edidit ſtatutos Canones firmavit, & quæ Germon obiecerat diſerte diluit (*a*).

Sum-

(*a*) *Germonii Ieſuitæ*, ait Honoratus a Sancta Maria (1), *præcipui diplomatices Mabillonianæ Adverſarii Diſſertatio de Veteribus Francorum diplomatibus norma eſſe poteſt iis, qui ad ſcribendum accedunt*. Item: *Quum non defuerint Scriptores Eruditi, qui diplomaticam Mabillonii artem vehementer impugnarent; alii contra non minus induſtrii eadem vi ipſius cauſſam ſuſceperint, quidam demum negotium hoc ad Problema publici Iudicii revocarint*.

Idem

(1) Diſſert. 4. art. 14. tom. 1. Animadverſ. ad Critic.

Digitized by Google

Summo quoque plauſu excepta fuere Vetera eius Analecta, & quæ de Pane Euchariſtico Fermentato, & Azimo contra Cl. Sirmondum, & Eminentiſſimum Bona, quæque de Sanctis Benedictinis protulit, in quibus cuiuſque ſæculi Eccleſiæ Doctrinam, ac Diſciplinam exacte ad ſæculum XI. uſque deſcribit, atque Animadverſiones Criticas in factis hiſtoricis apponit; de Liturgia item Gallicana, aliiſque de rebus.

At quanti factum ſit Opus de Studiis Monaſticis vel ex eo colligi poteſt, quod brevi temporis intervallo, plures Nationes ſuo quæque idiomate non ſemel recuderunt. Occaſionem huic operi dedit Abbas Ioannes Arman de Bovthillier de Rance (*a*). qui in Libro de Monachorum Sanctitate, a Monaſtica Diſciplina alienum eſſe pronunciarat, Monachos, ſi pios dumtaxat, Divinoſque Sacræ Scripturæ libros excipias, ad Scientiarum ſtudia incumbere, doctoſque Codices evolvere. Cui Ma-

Idem quoque habent Auctores Ephemeridum Sapientum 7. Ianuarii 1704. Quidquid in oppoſitum ſentiat Ioannes Petrus Ludewigius I. C. Acatholicus.

(*a*) Abbas Cœnobii Ordinis Ciſtercienſis Gallice dicti *de la Trappe* rigidiſſimum antiquorum Ciſtercienſium vivendi genus revocavit; immo novum, & rigidius propoſuit. Bonanni hic.

Mabillonius, (quum de re præſertim ſua ageretur), Opus de Studiis Monaſticis tribus diſtinctum Libris oppoſuit, in quorum Primo ſcite, eruditeque oſtendit, id in more poſitum eſſe apud Sanctiſſimos Pacomii Monachos: idque maxime Monachis commendari a S. Baſilio, S. Ioanne Chryſoſtomo, S. Benedicto, & Caſſiano. Idipſum firmat ex tot, tantiſque Bibliothecis, quæ in Monaſteriis extabant, ex plurimis eruditiſſimis operibus, quæ ex Monachis ad nos pervenerunt: ex eo, quod Abbates in Conciliis ſedebant, quod Monachi in Epiſcopos paſſim eligebantur, quodque ad erudiendos populos mittebantur. A nullo umquam Concilio id Monachis vetitum eſſe; immo ſi quid de Monaſticis Legibus remiſſum ſit uni huic ſtudiorum negligentiæ a Summis Viris tributum eſſe. Quapropter maximopere ſtudium ipſis commendatum ſemper eſſe ab ætate Caroli Magni per longam annorum ſeriem demonſtrat; At quum non omnibus Inſtitutum idem, eædemque leges Monachis ſint, idcirco non omnibus eodem modo artium ſtudia convenire fatetur; ſed illud extra controverſiam eſſe, a Monachorum inſtituto univerſe ſtudia litterarum minime abhorrere. Libro Secundo methodum exponit,

qua

Digitized by Google

qua Monachus ad ſtudia animum adiicere debeat, quibuſque facultatibus operam navare, ubi ſingulas percurrens ita de Grammatica, & Lingua Latina, de Rhetorica, Numiſmatis, Hiſtoriis, Inſcriptionibus, MSS. de Matheſi, Philoſophia, & Arte Critica, de Morali, Dogmatica, & Scholaſtica Theologia differit, ut & tempus in iis exigendum, & Canones pro ſingularum facultatum ſtudio ſanciat. Occurrit tandem Tertio Libro vitiis, quæ quandoque Monachorum ſtudia inficiunt, methodum præſcribens, qua hæc vitari poſſint. Librum tandem explicit duobus Catalogis, quorum alter difficiliora Quæſita exhibet, implicatioreſque Controverſias, quæ in Auctoribus Conciliorum, & Sacræ Hiſtoriæ ſingulis quibuſque ſæculis occurrunt: Alter celebriores Auctores, accurataſque editiones earum facultatum indicat, quarum ſtudium Monachos nequaquam dedecere affirmat.

Ipſi etiam accepta referunt Litterati Viri Antiquorum Patrum Volumina a mendis expurgata, atque ad genuina MSS. exemplaria reſtituta. A ſcriptis S. Bernardi opus hoc cœpit Mabillonius, atque idem proſequuti ſunt opus ex eadem Congregatione S. Mauri Theodoricus Ruinart, Ugo Menard, Franciſcus Fau,

Digitized by Google

Fau, Petrus Couſtant, Nicolaus Le Naurri, Ioannes Martiniani, Vincentius Thuillier, qui Vitam Mabillonii a Cl. Ruinart elucubratam edidit: Horum quiſque ex editis operibus magnum ſibi nomen comparavit (*a*).

Ex his eximium opus dedit Bernardus Montfaucon inſcriptum *Paleographia Græca*, ſive de Ortu, & Progreſſu litterarum Græcarum, & de variis omnium ſæculorum ſcriptionis Græcæ generibus. Diarium Italicum typis etiam mandavit, ubi exacte deſcribuntur Antiqua MSS., Inſcriptiones, Numiſmata, Arcus, aliaque monumenta, quæ in noſtra ſunt Italia.

Riccardus Simonius Deppenſis in Normandia natus 1639. Oratorii Berulliani Presbyter, ut nomen ſibi faceret Bibliothecam Criticam edidit, Criticam item Hiſtoriam præcipuorum Commentariorum in Novum Teſtamentum, & præter opera Gabrielis a Philadelphia cum adnotationibus, & epiſtolas criticas, quas Illmus Boſſuet damnavit, Hiſtoriam Criticam typis mandavit Novi, & Veteris Teſtamenti, quam utpote nihil novi, ſed ſuperva-

(*a*) Vide noſtram Diſquiſitionem Critico-Hiſtoricam, quam anno ſuperiori cum aliis edidimus, in qua fuſe quid Litterati Viri de eorum editionibus ſentiant, retulimus.

Digitized by Google

vacanea tantum habentem, inutilem Reipublicæ litterariæ fuiſſe, inquit Ioannes Clericus (1). Immo ſi Clerico ſtandum ob privatas ſimultates infenſiſſimus fuit Maurinis: atque hinc eorum editiones, quas, ait, Univerſus Litteratus Orbis (2) maxime commendat, parvifacit. Item quatuor Volumina Diſſertationum Simonium edidiſſe, ſubdit Clericus, tot maledictis, conviciis, & calumniis referta, ut non damnata modo a Summa Pariſienſi Curia fuerit, ſed palam etiam proſcripta. Poſt hæc duo alia Simonium edidiſſe volumina refert, in quibus reſectis ex parte maledictis, & calumniis, quibus plures litteratos Viros nimis acriter offenderat, variataque priori inſcriptione de iiſdem omnino argumentis agitur. Tandem ut Pelagianum, & Semipelagianum, & Arminii dogmata ſequentem ab Illuſtriſſimo Meldenſi Epiſcopo culpatum fuiſſe, nec ab his ſatis ſe purgaſſe, idem laudatus Clericus ſcribit.

Natalis Alexander ex doctiſſimo Prædicatorum Ordine Neuſtriæ Rotomagi natus 1639. inter Sorbonicos Doctores adſcriptus ingenioſiſſimos vulgavit in Epiſtolas S. Paulli, & in

(1) Tom. 1. art. IV. Biblioth. Antiq. & Recent.
(2) Ibidem.

Digitized by Google

Evangelia Commentarios ; Dogmaticam , atque Moralem Theologiam : Inſtitutionem Concionatorum : Summam S. Thomæ vindicatam , aliaque , quæ Cl. refert Echard (1) , inter quæ eruditiſſimum opus illud , quod magnam ipſi auxit doctrinæ , ingeniique famam, Opus ſcilicet inſcriptum : *Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris, Novique Teſtamenti ab Orbe condito ad annum poſt Chriſtum Milleſimum ſexcenteſimum* , ubi ſummo ingenio,mira eruditione,diligentia ſingulari , limatoque iudicio quidquid ad Hiſtoricos , & ad Patres , eorumque opera ; ad Concilia , eorumque Acta; ad Hæreticos , atque ad eorum errores attinet , ſervata temporum Chronologia viginti voluminibus , adamuſſim examinatur . Verum quum nonnulla Natali exciderint , quæ a recta veritatis norma deflectebant , eius opus a Sede Apoſtolica damnatum fuit : Acceſſerunt dein Notæ, Animadverſiones , & Diſſertationes Cl. Conſtantini Roncaglia Lucenſis Congregationis , & Illuſtriſſimi Dominici Manſi , & noviſſime Franciſci Antonii Zaccariæ , quibus , in quo peccatum eſt emendatur (*a*) . Vir

(1) Script. Ordin. Prædicat.

(*a*) Non vulgaris ingenii ſui acumen , & ſingularis eruditionis ſuæ ſpecimen & ſi in omnibus operi-

Digitized by Google

Vir præpollenti ingenio, eruditione ſumma, ac in meditandis, volvendiſque Scriptoribus diligentia conſpicuus habitus eſt Ioannes Harduinus Corientinopoli in Britannia Armorica natus a partu Virginis 1646. Is præter Quæſtionem Triplicem de Baptiſmo, Tractatum de Numis Herodiadum, Opus de Numis Populorum. & Diſquiſitionem de ultimo Ieſu Chriſti Paſchate: præter Conciliorum in duodecim Volumina Editionem, & Hiſtoriam Plinii Naturalem a mendis plurimis purgatam, & eruditiſſimis Diſſertationibus illuſtratam, quorum ſingula inſolentibus identidem excogitatis inſperſit, quæ ſobrietatis inopiam, in tanta doctrinæ, atque ingenii copia redarguunt; Immoderatam quoque, atque poſt homines natos, ſingularem exercuit Criticam, cuius argumentum ipſiuſmet verbis iuvat proponere: *Rem magni Operis* (1), *ſed & maioris*

 invi-

ribus, elucet tamen præcipue in Diſquiſitionibus Apologeticis, ubi ſe, ſuaſque opiniones ab Adverſariorum telis defendit, ut inter alias ea eſt, quam de Vulgata S. Scripturæ editione contra P. Claudium Fraſſen Ordinis Fratrum Minorum Theologum Pariſienſem ſæculo quarto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Tomo mihi octavo, additam voluit.

(1) In Prolegomenis ad Cenſuram Scriptorum Veterum Num. 1.

Digitized by Google

invidiæ aggredimur, aſpirante Deo, quo ad vita, ipſo largiente, ſuppetet: Scripta quæ Vetera exiſtimantur omnia, exceptis, quos pro Canonicis, & Sacris habet Eccleſia, & ſex omnino Prophanis Scriptoribus, Latinis quatuor, Græcis duobus inter ſuppoſititia, & a ſceleſto grege fabricata monumenta referre. Qui vero ſint ſex iſti, paulo poſt his verbis indica (1) *Multos Plinius in ſuo opere Scriptores laudat, quorum ſcripta interiiſſe dolemus: Neglexit ea Antiquitas, ſervavitque dumtaxat e Latinis (a) Plautum, Plinium, Virgilii Eclogas novem, Horatii Satyras, & Epiſtolas: e Græcis Homeri Iliada, & Odyſſeam, Herodoti Libros novem.*

In Prolegomenis impotentis Cenſuræ huius quidquid obiici ſibi præſentit, audacter aggreditur; conatibus tamen eiuſmodi, ut æſtimationi tanti Viri detraxerint potius, quam Litteratos homines in ſententiam inducerent adeo inauditam. Obiit ille Pariſiis poſtridie Kal. Septembris 1729. Dominus Boze titulum hunc funebrem poſuit nimio fortaſſis ſale conditum.

IN

(1) Ibidem Num. xv.

(*a*) In Præfatione ad Opus de Numis Herodiadum inter ſinceros Auctores Tullium connumerabat, at in Prolegomenis, ut ſuppoſititium etiam habuit.

Digitized by Google

IN EXPECTATIONE IUDICII
HIC IACET
HOMINUM PARADOXOTATOS.
NATIONE GALLUS, RELIGIONE ROMANUS.
ORBIS LITTERATI PORTENTUM.
VENERANDÆ ANTIQUITATIS CULTOR, ET DESTRUCTOR.
DOCTE FEBRICITANS.
SOMNIA, ET INAUDITA COMMENTA VIGILANS EDIDIT.
SCEPTICUM PIE EGIT.
CREDULITATE PUER, AUDACIA IUVENIS, DELIRIIS SENEX.

Extant Domini Maturini Veyſſere La Croze *Vindiciæ Veterum Scriptorum contra Ioannem Harduinum* Roter. 1708. Nimis tamen in Harduinum invehitur Dominus (1) La Croze, deque ipſo peſſime ſentit, ſed iniuria, ut monet Dominus Maleville (2). Tanta nihilominus adhuc poſt ingenioſa deliramenta homini fama ſuperabat, ut quærenti cuipiam a Domino Huet, Ecquid Harduinus? Feſtive, ac vere reſponderit: *Quadraginta ille iam annos laborat, ut ſui nominis gloriam perdat; ſed fructus operi minime congruit.*

(1) Pref. ad opus inſcriptum *Hiſtoire du Chriſtianiſme d' Ethiopie, & Armenie*,

(2) Tom. 2. Operis *La Religion naturellè, & la Revelèe*. Vide Mem. de Trevoux. Ianv. 1734 par. III.

Digitized by Google

Plurima fœliciſſimi ſui ingenii monumenta dedit Iacobus Hiacynthus Serry ex doctiſſimo S. Dominici Ordine, qui Toloſæ anno 1688. ortum habuit, inter quæ Exercitationes Hiſtoricas Criticas Polemicas de Chriſto, eiuſque Virgine Matre, in quibus tamen Criticæ ſubtilitati indulget nimis. Ipſi tribuitur *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis divinæ Gratiæ*, quæ ſub ementito nomine Auguſtini Le Blanc Lovanii vulgata fuit. Item *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis iuſtificata*. Atque Opus inſcriptum *Corrector Correctus*, quo, acuto calamo, Anonymo oſtendenti in ea Hiſtoria de Auxiliis in multis offendiſſe, reponit: Atque iterum contra ficti Theodori Eleutherii Hiſtoriam Opus illud ampliori forma recudit. Dedit Scholam Thomiſticam vindicatam: Launoio item repoſuit Libello, qui inſcribitur: *Divus Auguſtinus Summus Prædeſtinationis, & Gratiæ Doctor a calumnia Vindicatus*, aliaque non pauca dedit, quæ Cl. Echard in ordinem digeſſit (1).

Totus in Critica exercenda fuit Petrus Bayle Cartilati natus anno a Nativitate Chriſti Domini 1647. Hic acuto, quo a Natura donatus erat ingenio, & maxima, qua florebat eru-

(1) Biblioth. Scrip. Ord.

Digitized by Google

eruditione (*a*) peſſime uſus eſt. Aliqua illuſtravit opera, Alia commentariis auxit, Alia erudite, at non ſapienter ſcripſit (*b*), inter quæ numeratur Dictionarium Hiſtorico Criticum, quæ caute legenda ſunt, quibus per Sacrum Indicem licet: quippe quum plura ad ſcientias pertinentia examinanda proponat, pluri-

(*a*) Oppoſitum ſentiebat de eius ingenio eruditione, & operibus Ioannes Clericus, ut mox, quum de ipſo Clerico verba faciemus.

(*b*) Præter inedita, quæ extant opera, typis vulgavit Penſees diverſes ſur la Comete qui parut en 1680. Les Novelles de la Republique des lettres: La Critique generale de l'hiſtoire du Calviniſme du P. Maimbourg: La Cabale chymerique, & la Chymere de la Cabale de Roterdam: Les reponſes aux Queſtions d'un Provincial: Quæ reſponſa quinque voluminibus comprehenduntur: Ianua Cœlorum reſerata: Entretiens de Maxime, & Themiſte: Ubi omni conatu ſuam tuetur Religionem, ſeu verius omnem reiicit Religionem: Ultimum opus ab ipſo Librario traditum anno ſcilicet 1606.: at nonniſi poſt eius obitum 1607. vulgatum fuit. De Vita & operibus Bayle vide memorias Trewltienſes anno 1707. Auguſti. Nec non doctiſſimum Savrin.

MSS. ſunt Leçons d'Hiſtoires, & de Philoſophie: Abregè des vies des hommes illuſtres de Plutarque. Diſcours ſur la vie du Grand Guſtave. La continuation de la Critique du Calviniſme. Dictionaire Mythologique. Nec non epiſtolas nonnullas.

Digitized by Google

ma in dubium omni conatu revocare conatur, quibus & Catholicam Religionem, & rectam Philoſophandi methodum labefactare ſtudet; ex quo illum ut Pyrrhonicum, ut Manichœum, ut Pantheiſtam, ut Epicureum, ut Atheum accuſant, habentque paſſim: cui ſane iudicio non modo occaſionem præbuit, argumenta omnia, quæ id probarent congerendo in unum in ſingulis articulis *Epicureus, Zeno, Manichæus, Origenes &c.*; ſed aperte etiam *profeſſus eſt* in Libris de Cometis, & in Commentariis in illud Chriſti Domini *Compelle intrare*, ubi omnium Religionum tolerantiam admittendam eſſe impudenter docendo. Contra Bayle ſcripſerunt Clericus, Goudin, Giurieu, Iaquelot, & Poiret Diſſertatione de duplici methodo, deque ſimulato Petri Baelii contra Spinoſam certamine. Ipſum ab Atheiſmo purgare conatur Franciſcus Buddæus (1); Verum & id leviſſimo brachio præſtat, quaſi unicum eſſet, & maximum crimen illi appoſitum refert, quod dixerat, *Honeſtatem, & Virtutem eſſe poſſe in Atheis*, cætera vero nec ſpernenda rationum momenta, quibus Adverſarii de Atheiſmo hominis doctrinam iure ſugillant, ne leviter quidem attingit. Obiit Ro-

(1) In Tractatu de Atheiſmo, & Superſtitione.

Digitized by Google

Roterodami 1706. poſtquam natus erat an. 59.

Adrianus Baillet Novævillæ non procul a Bellovaco ortum habuit anno 1649. Quatuor protulit Volumina, quæ *Iudicium Sapientum* inſcribuntur: In quorum primo regulas tradit recte iudicandi tum de Libris, tum de Auctoribus, deque præiudiciis, quæ ad inſtituendum recte Iudicium vitari debent: In reliquis vero tribus de Librariis, Criticis Dictionariis, aliiſque agit: Quinque item Volumina dedit de Poetis: Vitam Carteſii, ubi eum commendat, eiuſque doctrinam dilucide exponit & tuetur: Hanc vitam ipſam ipſemet in Epitomen redegit. De Auctoribus ab aliis deformatis: De Pueris, qui ſtudiorum cauſſa nomen ſibi aucupati ſunt: Iudicium Sapientum maximi habetur a Criticis quippe nulla Iudicii anticipatione, nulla mentis præcipitantia, nulloque partium ſtudio ductus de Auctoribus, eorumque operibus diſſerit accurate (*a*).

Non Criticam modo exercuit in Diſſerta-

tio-

(*a*) Nonnulla alia ſcripſit Baillet inter quæ Vitas Sanctorum Veteris, & Novi Teſtamenti, at cum in his a vero declinaverit, non omnibus, ſed iis, quibus per S. Inquiſitionem permiſſum, eas percurrere licet.

Digitized by Google

tionibus Hiſtorico-Criticis de Ordinibus Militaribus, ſed Animadverſiones quoque Criticas edidit Honoratus a S. Maria ex Cl. Carmelitanorum Diſcalceatorum Ordine natus 1651. Lemovici: In his enim tribus Libris Criticorum quorumdam levitatem in iis ipſis, quas antea ſtatuerant regulis aperit, Criticeſque abuſus ſapienter demonſtrat (*a*). Opus quod gallice ab Auctore ſcriptum fuerat latinum reddidit Marcus Franciſcus eiuſdem Ordinis alumnus, atque typis commiſſum fuit Venetiis 1738.

Artis Criticæ præcepta quoque tradidit Joannes Clericus, qui patriam habuit Genevam 1657., in his Catholicam Eccleſiam carpere conatur: Inter eius opera Tres ſunt Bibliothecæ: Prima inſcribitur *Univerſalis*, quæ viginti ſex voluminibus parvis conſtat: Altera *Selecta* viginti ſeptem complectitur libellos: Tertia *Antiqua*, & *Nova* libellos itidem habet viginti novem: In his ipſe de Scriptoribus, atque Operibus, deque Editionibus ſui præſertim temporis fert iudicium. Integram ipſi denegant fidem eruditi, præcipue quum de ſuæ

(*a*) Vide Art. 7. Diſſert. 2. Tom. 1. ubi de Natali Alexandro, Ælia Dupino, Riccardo Simonio, aliiſque acute diſſerit.

Digitized by Google

ſuæ ætatis litteratis viris ſententiam profert: Etenim Riccardum Simonium acriter (1) mordet: Petri Bayle opera minimi facit, huius ingenium nimis deprimit, atque ipſum nullo pronunciat ſcientiarum genere imbutum (2), aliaque de aliis, præoccupato, vel præcipiti iudicio, profert. Amſtelodami, ubi filiam Gregorii Leti uxorem duxerat, obiit 1736.

Vixit quoque ea tempeſtate Pariſiis, ubi natus fuerat 1657. atque ubi 62. poſt annos deceſſit Ludovicus Ælias Du-Pin vel Auctor Libelli, ut aliquorum fert opinio, vel unus certe ex quadraginta Sorbonæ Doctoribus, qui a ſubſcribendo libello a Romana Sede proſcripto non abſtinuerunt, ut ex iis quæ Clemens XI. Pontifex Maximus Ludovico XIV. Francorum Regi ſcripſit, novimus. *Non ſine maximo animi gaudio percepimus Regium Maieſtatis tuæ Zelum noſtris nuper paternis vocibus excitatum cæpiſſe in præcipuos deterrimi libelli approbatores condignis pœnis animadvertere Ludovicum Du-Pin nequioris doctrinæ hominem, temeratæque pluries Apoſtolicæ Sedis dignitatis reum, exulare iubendo.*

Plu-

(1) Tom. I. art. IV. Biblioth. Antiq. & Nov.
(2) Tom. VIII. Biblioth. eiuſd.

Digitized by Google

Plurima hic litteris mandavit (a), inter quæ Bibliothecam Auctorum Ecclesiasticorum quadraginta septem Voluminibus complectentem non modo Auctorum vitam, eorumque opera, variasque operum editiones, sed plura etiam, quæ

(a) Prologomena in Bibliam tum Veteris tum Novi Testamenti: Novam Bibliothecam Auctorum Ecclesiasticorum, ubi de eorum Vita, Operibus, & Chronologia, deque eorum operum, quæ extant iudicio, tum de iis quæ periere, & Synopsim eorum ad annum usque 1710.: Tractatum item de Antiqua Ecclesiæ Disciplina septem Dissertationibus comprehensum: De Iure Patriarcharum, & Metropolitanorum: De Ecclesiasticis Iudiciis, & Appellationibus: De Antiqua excommunicatione: De Romani Pontificis Primatu, deque eiusdem Infallibilitate; De Concilii auctoritate præ Pontifice: De nullo Pontificis Iure in Temporalia; Librum de Doctrina Christiana, & Orthodoxa: Pentateuchum cum adnotationibus edidit, Opera Optati, in cuius initio & Donatistarum historiam præponit, & Geographiam Sacram Africæ: Recudit opera Gersonis, quæ *Gersoniana* inscripsit, in quibus & Gersonis ipsius Vitam, & Doctrinam, & Auctorum ipsi Synchronorum exponit. Epistolam de antiquo ritu Missam celebrandi vulgavit; Criticam de Historia Apollonii Thianei: Tractatum de excommunicatione: Historiam Ecclesiæ per interrogata, & Responsa: De Monarchia Sicula: Analysim de Apocalipsi: Historiam XVII. sæculorum. Bibliothecam eorum, qui ab Ecclesia Romana discessere sæculi XVII. Methodum discendæ Theologiæ.

Digitized by Google

quæ in Eccleſiaſtica hiſtoria dubia ipſi videntur, & controverſa; Verum dum veritatem ipſe inquirit a Veritate pluries aberrat: Quare Cl. Matthæus Petit Benedictinus primam eius Bibliothecæ partem tribus voluminibus impugnans ipſum reprehendit, quod dogma de Purgatorio, de Peccato Originali, de Confeſſione auriculari infirmaverit. Iacobus Benignus Boſſuet vir ingenio, doctrina, & auctoritate ſummus Bibliothecam totis nervis aggrediens oſtendit Du-Pin non recte ſenſiſſe de Epheſino Concilio, nec non de S. Cyrillo, Sociniana inſuper labe infectum eſſe; ex hiſce, aliiſque criminationibus fruſtra ſe liberare conatus eſt Ludovicus, quippe Bibliothecam ut pernicioſam, ut falſa continentem, ut maxime hæreſi faventem damnatam vidimus, atque orationem retexuiſſe (*a*) novimus iubente Illuſtriſſimo Franciſco d' Harley Archiepiſcopo Pariſienſi. Hiſtoriam Iudæorum a Domino Baſnage exaratam, mutatis tantum aliquibus Du-Pin ſibi vindicaſſe in opere hac ſuper re edito idem Baſnage queritur: Peſſime ſentiunt Auctores Gallici Diarii de eius operibus, ſtylo, & eruditione: ipſius præcipitantiam

(*a*) Extat typis edita in opere inſcripto: Recueil hiſtorique des Bulles, & Conſtitutions.

Digitized by Google

tiam in iudicando, immoderantiam in dicendo, negligentiam in examinandis, inquirendisque veritatibus insectantur.

CAPUT II.

Artis Criticæ definitio expenditur.

IN Arte Critica definienda non una est Auctorum opinio: Angustis eam circumscripsit finibus Cousinus (1) docens huius artis esse examinare, Num quæ Scriptores tradunt vera sint?

Ioannes Clericus Eam dixit esse Artem (2) intelligendorum Veterum Scriptorum sive numeris adstricta, sive soluta oratione utentium, & dignoscendi quænam eorum Genuina scripta sint, quæ Spuria.

At redundare in aliquo videtur, & in alio deficere Clerici definitio: quippe superfluere videntur verba illa. *Sive numeris adstricta, sive soluta oratione utentium*; satis enim hæc verbis illis *Veterum Scriptorum* comprehensa videbantur: Manca vero est, quia Veterum tantum Monumentorum verba facit: Quid enim vetat, quominus de recentibus quo-

(1) Journal 4. Mai 1699.
(2) Artis Criticæ initio.

Digitized by Google

quoque libris, ac factis Critica pronunciet (a)?

Cl. Ioannes Mabillonius (1) Eam Facultatem Coniecturalem vocat, quæ docet bene iudicare de factis nonnullis, præcipue vero de Auctoribus, eorumque scriptis. At cur de nonnullis tantum factis iudicium ferre poterit Criticus? Profecto quod ius Critico est, ut de factis nonnullis iudicet, idem & de omnibus erit.

Criticam nihil aliud esse docet Michael a S. Ioseph Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Ca-

(a) Frustra conati sunt quidam contra nostrum hoc iudicium in alia opella a nobis prolatum Ioannis Clerici expositam definitionem defendere ex eo, quod Criticam Artem ipse definierit, spectato Antiquorum more, qui in Critica exercenda angustioribus detinebantur limitibus; Verum hanc non fuisse Clerici mentem quisque sibi facile suadet, si attendat ad ea, quæ ipse scripsit in Arte Critica, ubi universalia pro re quacumque præcepta tradidit, & ad Criticam, quam Ipsemet exercuit in Triplici sua Bibliotheca, ubi de operibus Simonii, Bayle, aliorumque, qui ætate sua floruerunt, iudicium fert. Præterquamquod Veteres nec de una facultate, nec de Veterum Auctorum operibus protulere iudicium, ut aperte liquet ex iis, quæ initio præcedentis capitis retulimus, & quæ mox proferemus ex Henrico Valesio.

(1) De studiis Monastic.

Digitized by Google

Captivorum (1) quam Quædam Vis iudicii, mentisque Sagacitas, quæ ex idoneis indiciis vera a falsis discernit, legitima ab illegitimis, probabilia ab improbabilibus, authentica ab apocryphis, proprios denique, ac genuinos Scriptorum sensus ab impropriis, minimeque eorumdem intentioni, ac verbis congruentibus.

Honoratus a S. Maria, Artem, inquit (2) esse iudicii ferendi de Factis historicis, de operibus ingenio elaboratis, de eorum variis lectionibus, de sententia stylo, & Auctoribus.

Criticam definit Henricus Valesius Artem iudicandi de scriptis tam Veterum, quam Recentiorum: Hic enim, inquit (3), præcipue scopus est huius artis, ut tam de poematis, quam de Oratoribus, Historiis, Dialogis, omni denique genere inscriptionis recte iudicare valeamus.

Pressius vero dico Criticam Artem Facultatem esse, qua de iis, quæ facta sunt, quæque scripta, deque eorum Auctoribus recte iudicare docemur.

Ubi

(1) In Crisi de Critices Arte, sive in Tractatu de Veteri, & Nova Critice.

(2) Animadvers. Critic.

(3) Lib. 2. de Critic. cap. 1.

Digitized by Google

Ubi vides, Eam non versari circa disciplinarum obiectum: sic enim peculiaris Facultas non esset, confunderetur quippe cum omnibus disciplinis: Sed Ipsius est de Disciplinarum methodo, claritate, nec non de præceptis certo quodam ordine differere.

Exposita Artis Criticæ definitione Doctrinæ ordo expostularet, aliqua hic de Facultatis huius Præstantia, Utilitate, & ad cæteras disciplinas perfectiori quodam modo adipiscendas Necessitate adiicere; at quoniam id egimus integra, nec brevi Disquisitione, quæ Quinta est ordine inter eas, quas superiori anno edidimus, ubi non de eius Præstantia tantum, Utilitate, & Necessitate differuimus, sed ab obiectis quoque, quæ contra Facultatem hanc a nonnullis doctis Viris confecta sunt, fuse vindicavimus: idcirco actum ne agamus, hic cum eruditissimo Henrico Valesio (1). Auctores nonnullos dumtaxat innuimus, qui de discipulis aliis agentes Critices legibus usi quum sint, nomen ab hac etiam facultate sibi compararunt, ut Plato, Isocrates, Tullius in Arte Oratoria: In Iure Cuia-

(1) Lib. 1. de Critic. per tot.

cius (a), Contius, & Antonius Auguſtinus: Dio Chryſoſtomus inter Philoſophos Favorinum Philoſophum ex A. Gellio Criticum demonſtrat: enumerat item Plutarchum Longinum, Porphyrium, de quibus & nos ſatis abunde ſupra diximus & Eunapium Longini Auditorem, Syrianum, Philoxenums, Proclum, alioſque: Inter Medicos Galænum, Sabinum, Metrodorum, & Rufum, Epheſium Hippocratis antiquos Interpretes: Inter Theologos præter alios Origenem: ex Patribus Nazianzenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, quibus nos suo loco alios quo-

(a) *In iure quomodo putas umquam*, ait Cl. Mauſſaucus (1) *te in ſenſa νομοθετῶν, & Iuriſconſultorum penetraturum, niſi prius illorum ſcias characteres, & ſtylum diſcernere &c. An putas magnum illum Cuiacium Iuriſconſultorum conſultiſſimum tot in iure deſperatos locos umquam explicaturum fuiſſe, tot corrupta reſtituturum, & toties Triboniani ſtylum a ſermone Veterum Iurisconſultorum diſtinĉturum, niſi Criticam prius coluiſſet, & Criticorum filios?*

Idipſum firmat Daniel Heinſius (2) *Quis dubitare poſſit quin præ cæteris Cuiacio haud parum debeat Iuriſprudentia? qui præter maximam Iuriſprudentiæ peritiam ex Baſilicis græcorum, & deficientis linguæ uſu plurima ignota, atque inuſitata eruit, reſtituit, atque emendavit.*

(1) In Diſſert. Critic. ad Harpocrat.

(2) Diſſert. de Veræ Criticæ Ortu, & Progreſſu ſive in Prolegomenis ante Ariſtarchum.

Digitized by Google

quoque addemus : Quæ quum ſint ita ad rem propius accedentes ad Criticæ Facultatis Canones gradum facimus .

CAPUT III.

Apparatus ad excercendam rite Criticam Facultatem Neceſſarius .

CANON I. UT Criticen quis exercere valeat præſtanti imprimis ingenio ſit præditus oportet : *Nihil præcepta* , ut recte Quintilianus (1) , *atque Artes valent , niſi adiuvante Natura , quapropter ei , cui deerit ingenium non magis hæc* (quæ de Eloquentia Ipſe, de Critica Facultate nos dicimus) *Scripta ſunt , quam de agrorum cultu ſterilibus terris* .

CANON II. Non una ſat erit acuta Ingenii acies , ſed huic Naturalis quædam Prudentia accedat neceſſe eſt , ex qua geometrica , ut ita dicam, Mens effloreſcat , ne ipſe ſe ſuis acuminibus compungat . Neque hæc ita dicimus ut populari trutina rem examinet Criticus, ſed ne ſubtilitate nimia ſe, alioſque impediat, atque fallacibus coniecturis , levibuſque rationibus nixus iudicium proferat , ut Ioanni Har-

(1) In Præem. Lib.1.

Digitized by Google

duino eveniſſe novimus, & de Gelenio teſtatur Eraſmus (1).

Canon III. Acri memoria indiget Criticus, ut quæ perlegit habeat in promptu, quæ didicit retineat, atque ad opus Auctoris examinandi referre valeat: Qua in re peccaſſe Eraſmum notant Eruditi: quippe iudicium ferens ipſe de Cornelio Nepote ait (2) *Candidus eſt Laudator omnium, quorum vitam deſcripſit, ut Encomiaſten dicas verius, quam Hiſtoriographum*. At meminiſſe debuerat Lyſandrum ut factioſum, audacemque, & crudelem a Nepote deſcriptum: *Cuius de crudelitate, ac perfidia*, ait, *ſatis eſt unam rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerando fatigemus Lectorem*: Notam eius Avaritiam in bello adminiſtrando, aliaque eius vitia non obſcure prodidiſſe (3); Pauſaniam item vitiis obrutum, atque Patriæ Proditorem fuiſſe refert: qua de re litteras haſce Xerxi datas ex Thucydide tranſcribit (4). *Pauſanias Dux Sparte, quos Byzantii ceperat, poſtquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri miſit, ſeque tecum affinitati coniungi cupit, quare ſi tibi videtur des ei filiam tuam*

(1) Epiſt. ad Damianum Goeſium.
(2) In Ciceroniano ſuo de Æmilio ſeu de Nepote.
(3) In Vita Lyſand. (4) In Vit. Pauſan.

Digitized by Google

tuam nuptum : Id Si feceris & Spartam , & cateram Græciam ſub tuam poteſtatem , ſe adiuvante , reductum pollicetur . Nec Themiſtoclis invidiam de Ariſtidis abſtinentia , ob quam cognomine *Iuſtus* appellabatur, eiuſque operam, ut ob id ſolum in exilium pelleretur , præteriit (1).

CANON IV. Quæ alibi ſcripſit probe teneat, ac perſpecta habeat Criticus , ne parum ſibi conſtans , quæ conceſſerit neget, quæ ut ſuæ ſententiæ fundamenta iecerit , reiiciat ; refellatque : Ut de summis viris, atque Criticæ facultatis Principibus Natali Alexandro , & Philippo Labbè in noſtra Diſquiſitione V. innuimus . Incouſtantiam hanc pluribus oſtendit, acriterque reprehendit Honoratus a S. Maria (2), ex quibus Criticos contentionis cupidiores eſſe , quam veritatis , demonſtrare conatur .

CANON V. Multiplici Lectione ſit imbutus , atque ea præſertim calleat , de quibus ſententia ipſi dicenda eſt : *Neque enim*, ut monet Tullius (3) , *quoties verbum aliquod eſt ſcribendum nobis , toties eius verbi literæ ſunt cogita-*

 tione

(1) In Vit. Ariſtid.
(2) Tom.1. Diſſert.2. Art.1. ad 10.
(3) De Orat. Lib. 2. cap. 30.

Digitized by Google

tione requirendæ. Qua enim ratione de facultate aliqua iudicabit, ſi facultatis ipſius Naturam; Initium, Progreſſus &c. perſpecta, præ manibus, atque ob oculos non habeat? Hoc Critices fundamento deſtitutus fruſtra obiecit Iulianus Auguſtus, inquit Hieronymus (1) *Diſſonantiam Evangeliſtarum, Cur Evangeliſta Matthæus Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli? Non intelligens conſuetudinem Scripturarum, quod alter ſecundum Naturam, alter ſecundum legem ei Pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſem, Deo iubente, præceptum, ut ſi Frater, aut Propinquus abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad ſuſcitandum ſemen fratris, vel propinqui ſui.*

Ex quo etiam putamus memoria excidiſſe Antiquæ Geographiæ deſcriptionem iis, qui Patriam inquirentes Iuliani Epiſcopi Pelagiani, Ipſum Atellæ ortum duxiſſe, atque Capuanæ præfuiſſe Eccleſiæ autumant, ex quo in Apulia natum eum dicat Auguſtinus (2). Non ignorare ſane Viri Clariſſimi Ballarinii Veronenſes, qui poſt Baronium (3), id affirmant; non ignorare, inquam debuerant, Ecla-

(1) Lib.1. Comment. in Matth.
(2) Lib.6. Oper. Imperf. num.18.
(3) Ad Ann. 430. num. 6.

Digitized by Google

Eclanum (*a*), ubi reipſa ſaniores Critici (*b*) natum volunt, ad Apuliam Peuceticam ante Adriani diviſionem ſpectaſſe; licet poſt novam diviſionem ad Campaniam pertinuerit. Ex quo illud etiam colligunt Eruditi, non Capuanam, ut corrupti Gennadii Codices nonnulli habent, ſed qui accuratiores. Campanum Epiſcopum fuiſſe, hoc eſt Eclanenſem Eccleſiam Urbis, ſcilicet Eclani, in qua natus erat, uti tunc temporis erat in more, adminiſtraſſe.

CANON VI. Veram Auctoris ſententiam, ut recte iudicet, aſſequatur Criticus. *Quid enim*

(*a*) Eclanum Urbs fuit apud Hirpinos, nunc Frigentum Abellinenſi Epiſcopatui addicta.

(*b*) Liquido id conſtat teſtimonio Marii Mercatoris, cui ſane cognitus erat Iulianus, de quo: *Iulianus*, ait (1), *ex Epiſcopo Oppidi Eclanenſis Hæreticum Pelagianum, Cæleſtianum hunc ſequutum eſſe Theodorum*.

Neque iis, qui contra ſentiunt ſuffragatur, quod Proſper (2) Atellanenſem nominet. Id Librariorum errori tribuunt Pagius (3), & Voſſius (4); quippe nec omnes Codices id habent, & in Emendatioribus Eclanenſis legitur.

(1) In Refutatione Symboli Theodori Mopſueſteni.
(2) In Chronico.
(3) Ad An. 419.
(4) Lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 6.

Digitized by Google

eſt tam temerarium, ait Tullius (1), *tamque indignum Sapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere*? Hanc ut teneat, percurrere non omittat, quæ initio operum ſuorum præfari, ut plurimum ſolent Auctores. In iis enim, quem ſibi propoſuerint finem, qua data occaſione, in quos, vel pro quibus, quaque methodo opus ediderint, paucis licet, aperte tamen, Lectoribus exponunt.

Animum item adiiciat ad ea, quæ antea dixerat, & quæ deinceps ſubdit: Alia quoque eiuſdem argumenti, atque etiam huic affinia Auctoris eiuſdem evolvere opera, ipſum non pigeat.

Illud tandem, quod caput eſt, maximopere caveat, ne aliorum ſcriptis, notatiſque locis ſe credat, ſed per ſeipſum Auctorum opera, Auctoritates ex Libris, vel MSS. prolatas, & rationum momenta perpendat. Ex quo factum eſſe ait Quintilianus (2); Nonnullos falſo affirmaſſe, Platonem in Dialogo ab ipſo *Gorgias* inſcripto, minimi feciſſe Oratoriam facultatem, atque deſpectui habuiſſe Oratores; quum ibi Græculorum tantum redarguan-

(1) Lib. 1. de Natur. Deor. (2) Lib. II. cap. 15.

Digitized by Google

guantur argutiæ, & sophiſmata : *Plerique*, ait, *dum pauca ex Gorgia Platonis a prioribus imperite excerpta legere contenti, neque alia eius volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt, creduntque eum in hac esse opinione, ut Rhetoricam non Artem, sed Peritiam quamdam gratiæ, ac Voluptatis existimet* (*a*).

Quanti autem hæc sint facienda vel ex eo præsertim colligi potest (*b*), quod Cl. Ioannes

(*a*) Neque Tullium ipsum veram Platonis mentem assequutum esse, notat Cl. Iacobus Prouſt (1) quippe ex Crassi Persona Lib. 3. de Oratore §. 31. dixit : *Irridentes Oratorem, ut ille in Gorgia Socrates*. Mirum sane ! Quum ipse ex Crassi eiusdem Persona se diligentissime Dialogum illum legisse referat De Oratore Lib. 1. §. 11. *Sed ego neque illis*, ait, *assentiebar, neque harum disputationum Inventori, & Principi longe omnium in dicendo gravissimo, & eloquentissimo Platoni, cuius tum Athenis cum Carneade diligentius legi Gorgiam : quo in Libro, hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in Oratoribus irridendis ipse esse Orator Summus videbatur*.

(*b*) *Errorum ipsius* (verba sunt Duiat) *omnium, Duæ Generales, & Præcipuæ Causſæ assignari solent : Prima ἀνιςοριδ'ία, seu quod veteris Historiæ tum Sacræ, tum Prophanæ, priscorumque rituum, aut verius exquisitæ omnis litteraturæ, non eam quam par fuisset, notitiam habuerit : Secunda, quod pleroſque Canonum sim-*

(1) In Not. ad Lib. 1. de Orat. §. 11. Adnot. 1.

nes Duiat (1) notat has fuiſſe præcipuas errorum cauſſas, quibus ante emendationem detur-

ſuorum (non ipſis e fontibus Conciliorum, Epiſtolarum, Decretalium, & Patrum;) ſed ex anteriorum fere Collectorum Burchardi, Ivonis, & ſimilium rivis; imo (ſi Ioanni Molinæo ante citato credimus) ne ex his quidem, ſed ex eorum compendiis hauſerit. Inde orta omnia eius menda, tum in compilandis, tum in concilian. dis Canonibus admiſſa, quorum utrumque genus ad certa capita revocare non eſt difficile.

Prioris generis ſunt, primo, quod falſa Concilia pro veris, & ſuppoſititias, aut dubias Epiſtolas Decretales pro certis: & ſæpe Apocrypha pro Canonicis, ac receptis obtrudat. Sic veterum Pontificum, Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri I. aliorumque, ante Siricium, Decreta ubique proponit, velut indubitata. Librum Paſtoris, tamquam Canonicum, duobus, tribuſve locis: & Quiniſextæ in Trullo Synodi Canones, quaſi Sextæ œcumenicæ ſæpenumero laudat.

Nec minus peccat in Patrum Scriptis, dum loco Germanorum cuiuſque Operum, ſpuria ſupponit, vel falſorum titulorum fraude poſt alios deceptus, iis utitur paſſim pro genuinis, quæ genuina non ſunt. Sic Canonem, Quem pœnitet 88. *diſt.*1 *de Pœnitentia tribuit S. Auguſtino, quaſi auctori tractatus de vera, & falſa pœnitentia: quem Gratiani errorem primus advertiſſe videtur Antonius Contius.*

Ex poſteriori capite fluit, quod in falſis quoque Canonum inſcriptionibus ſecutus eſt non raro Burchardi hallucina.

(1) Lib. IV. cap. 12. Prælect. Canonic.

Digitized by Google

turpatum legebatur Gratiani Decretum; & quod ſcilicet quæ in ordinem digerenda ſuſce-

pe-

cinationes, aut affectatos errores. Nam eius vitio, aut more, Concilia, & Pontifices, ac Patres, alterum pro altero citat: quemadmodum late probat Antonius Auguſtinus: Vt §. His auctoritatibus, poſt Can. 87. de pœnit. diſt. 1. verſ. Item illud S. Ioanni Chryſoſtomo adſcribit, quod eſt S. Ambroſii, cui & ipſe id aſſignaverat Canon. 2. eadem diſt. Pari ratione, ſive Burchardi exemplo, ſive propria oſcitantia, Synodum IX. allegat, pro VIII. Concilium Agathenſe, aut etiam Moguntinenſe pro Carthaginienſi; Carthaginienſe pro Chalcedonenſi; Hipponenſe pro Epaunenſi; Ilerdenſi pro Taburienſi: Clementem quoque supponit loco Eugenii minoris: Ioannem deinde Chryſoſtomum, modo pro Ioanne VIII. Papa, modo pro Chromatio. Sic etiam Auguſtinum aut Hieronymum, loco Gregorii ſubdit, aut Bedæ. Aliquando Pio, Soteri, aliiſque Pontificibus adſcribit, quæ ſunt Iuliani Anteceſſoris, Concilii Toletani XI. aut Nannetenſis: vel Gregorii ſive Auguſtini Fabiano: item nonnulla Concilii Matiſconenſis, vel Concilio Ancyrano, quæ ſunt Auguſtini: & Conciliis Arelatenſibus Decreta Concilii Arauſicani, vel Trosleiani. Sic Theodoſianis legibus tribuit Paulli Iuriſconſulti Sententias, aut etiam Aniani: & Anacleto, quæ referenda ſunt ad Lotharium Imperatorem: quorum pleraque ſuis locis annotarunt Romani Correctores. Omitto quod Pontificibus aſſignat Canones Synodorum ſub illis habitarum, ut obſervavit Auguſtinus.

Fallitur præterea in Martini nomine, cum Decreta

Mar-

Digitized by Google

perat non callebat, & quod non perſeipſum ex Conciliis Patribus, & Pontificùm decretis,

Martini primi Papæ in Concilio Romano apud Lateranum edita confundit cum Martini Bracarenſis Epiſcopi Capitulis Græcarum Synodorum: quo pertinent Dialogi 10. 11. *&* 12. *lib.* 2. *ſæpius laudati Auguſtini Tarraconenſis.*

Alia quoque nomina propria multis locis invertit, & varie corrumpit. Ex Athanaſio enim nonnumquam facit Anaſtaſium: ex Leandro Hiſpalenſi Leonardum: ex Nicaſio Nicolaum: ex Vigilio Papa, Iulium; Germanum ex Gennadio; ex Thaumaturgo Triſmegiſtum; Vincentium dicit pro Iuvenco, pro Hyeremia Hieronymum, Ignatium pro Hincmaro.

Aliquando nullum certum, Auctorem indicat, ut in Can. prim. annotat. 11. *diſt.* 16. *ſæpe indicato Auctoris, aut Synodi nomine Librum, aut Canonis, ſeu capitis numerum omittit. Citantur & in hoc Decretorum opere Concilia quædam, quæ nuſquam extant; ut Canoni, ſive Paleæ Annis ſingulis* 16. *diſt.* 18. *præfigitur epigraphe in Concilio Bylon.*

Synodis, & Pontificibus, qui plures eodem nomine fuerunt, ſæpe nulla adſcripta eſt numeri nota, qua poſteriores, a prioribus diſtinguantur, Nam Concilium Carthaginienſe, Toletanum abſolute citat, nec adiicit quotum intelligat. Quinetiam Synodum Romanam nominat alicubi non ſubnotato tempore, cum tot fuerint Concilia Romæ celebrata. Gregorium quoque nullo addito, non tantum pro Gregorio I. ſive magno; ſed etiam pro tertio, vel ſeptimo nonnumquam laudat, & Ioannem

tis, sed ex libris eorum, qui ante ipsum opera ediderant, collegerat, ac descripserat: hinc unum

nem simpliciter, pro Ioanne VIII. Itemque Callistum pro Calliſto II.

Diversimode corruptos, ac depravatos, haud raro profert auctorum &c. locos, cum detractis, tum additis quibusdam, ut locum Pontificalis dist. 19. Canon. penult. & §. Quod vero *post Canonem* 96. *q.* 1. *ubi, quod Ivo Carnotensis cap.* 40. *partis* 14. *ex eodem Pontificali tradit, Acacium divino nutu percussum fuisse, id Gratianus (expuncta voce* Acacius, & voce *quia, quæ præcedebat) tribuit Anastasio II. Romano Pontifici. Contra vero de suo addit nonnulla, ut Can. ult. de pœnit. dist.* 1. *ubi textui Theodori Cantuariensis, seu potius Concilii Cabilonensis sub Carolo Magno habiti addit post Burchardum,* & *Ivonem, sed contra fidem Capitularium, illa verba* Ut Græci, & *illa,* Ut tota fere Ecclesia: *qua de re Antonius Augustinus. Quin etiam veris Auctorum locis longiores lacinias assuit, tamquam ex iisdem petitas, ut Can.* 3. *dist* 15. *ad Decretum Synodalem Gelasii Papæ, adiecta sunt ex aliquo libro de divinis Officiis, quæ sequuntur post versum* Qui Libri. *Vid. Augustinum eumdem dial.* 18.

Græcarum Synodorum Canones eosdem pluribus donatos versionibus pro diversis reponit: veluti Concilii Nicæni, Canonem 17. *ex versione Dionysii Exigui Canon.* 1. *dist.* 47. *ex alia vero versione prisca Can.* 8. XIV. Qu. 4: *Canonem item quartum, alias* 5. *Synodi Antiochenæ, ex versione Dionysiana Can.* 6. 11. *quæst.* 3. & *ibidem Can.* 7. *ex versione Martini Bracarensis. Canonem*

unum pro alio allegabatur Concilium : Auctorum nomina confundebantur : obsoleta Iura

nem quoque 3. Chalcedonensis Concilii , ex versionibus aliquantum diversis Can. ult. dist. 86. , & Can. I. IV. quæst. 3. Eodem etiam pertinere videtur , quod eumdem locum eiusdem auctoris plurics repetit , veluti locum Leonis Papæ ex Epistola 78. alias 80. Can. 61. & Can. 89, dist. 1. de pœnitentia .

Suo iam tempore Antiquata Receptis aliquando permiscet : ut observat B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus : In Decretis , inquit , quædam ponit Gratianus , quæ non tenentur : quædam alia a Conciliis , vel Summis Pontificibus edita , quæ sunt revocata , seu immutata per consuetudinem generalem contrariam , & abrogata . Exemplum affert de ieiunio Quadragesimæ ; quod Clerici servare tenebantur a Sexagesima , ut observat Gratianus Can. 3. & sequentib. distinct. 4; hodie tamen cum Laicis inchoant ; videndus Antonius Augustinus dial. 6.

Auctorum , quos laudat , sententiam solum exprimere contentus , verba sæpenumero non adducit : dicta, sive apophthegmata Patrum pro operibus supponit : loca ex actionibus , seu gestis Conciliorum , quasi Synodorum ipsarum Canones profert : imo nulla Synodi facta mentione , quæ in ea ab aliquo ex Episcopis præsentibus proposita fuerant , sub eius , qui proposuit , nomine citat . Summas item , sive breviationes Canonum pro Canonibus integris obtrudit : & pro Collectionibus Decretorum , seu Capitulorum , Concilia laudat , velut Martini Bracarensis pro eius Collectione . Mitto , quod modo eumdem

Ca-

Digitized by Google

ra cum recenter promulgatis permiſcebantur: Loca non diſtinguebantur, & Tempora, ac ſexcenta his ſimilia.

CANON VII. Præcipitantia omnino vitanda Critico: hac enim fieri plerumque ſolet, ut impetu quodam abrepta Mens, rationibus non bene perpenſis, iudicium temere proferat.

Canonem, vel idem caput in plures partes, & loca operis ſui procul inter ſe diſſita, diſtrahit: (quod quidem ſuam quandoque habere poteſt rationem): modo autem plures Canones ſimul coniungit, & in unum congerit.

Non immerito igitur Bellarminus in eo præſertim Gratianum reprehendi poſſe exiſtimat, quod non habuerit delectum auctorum, ex quibus Decreta collegit: adducitque aliqua loca in eius rei exemplum. Primo in Can. indiſtincta, diſt. 16., ſecundo in Can. Adrianus, & Can. in Synodo, diſt. 63. Tertio in Can. Hæc eſt fides XXIV. *quæſt.* 1. *Quarto in Can. Quia Sacerdotes* 1. *qu.* 1. *& alia quædam.*

In conciliandis quoque Canonibus, & reſponſis, ſive reſcriptis Pontificum, quæ inter ſe pugnare videntur, errores aliquot operi ſuo aſperſit: veluti cum in principio diſt. 13. *ait, perplexo inter duo mala, ideſt peccata, licere minus malum eligere: quaſi contingere poſſit, ut quis adeo perplexus ac dubius ſit, ut neceſſario peccare cogatur; in quo erraſſe Gratianum Ioannes Teutonicus Gloſſator eo loco advertit. Huic non abſimile eſt, quod §. Quibus auctoritatibus, poſt Canonem* 89. *diſt.* 1. *de pœnit. ita de oris Confeſſione diſſerere videtur, tamquam non ſit abſolute neceſſaria.*

Digitized by Google

rat. Quare ſententia tamdiu ſuſtinenda eſt, dum res ſedulo examine diſcuſſa fuerit: Atque hinc factum opinor, ut Carteſium nova in re philoſophica molientem, olim non pauci, ut hæreticum habuerunt.

Scepticiſmi quoque notavit nos contra expectationem, in ſua, quam nuper edidit Metaphyſica (a) Cl. Caietanus de Amato, Vir, amenioribus æque, ac ſeverioribus diſciplinis ex cultus apprime. Quam quidem notam appingere omiſiſſet opinor, ſi non quod prima fronte poſiti a nobis Canones (1) præferunt, verum quod continent pro ſua ingenii acie diligentius inſpexiſſet. Plura ſiquidem ibi Pronunciata acriter propugnamus, uti vulgatiſſimum illud *Nemo dat, quod non habet*; Aliorum autem legitimum intellectum aperimus,

(a) *Licetne mihi inter admodum dubitantes Franciſcum Robertum, (quem honoris cauſſa nomino) recenſere? Siquidem ille ea, quæ pollet ingenii luce in nuperis Diſquiſitionibus Critico-Philoſophicis Diſquiſ.* II. *ſtudioſe cribrat præcipuos Canones Scholæ Carteſianæ, Ariſtotelicæ, Newtonianæ, muſſitatque de illis ſerio. Magiſtros clavo pungit cenſorio: dum vero parcit, eos tentat acicula: Nec tamen, ſi quid ſapio, id ſemper merito efficere videtur.* Element. Metaphyſ. Tom. I. Cap. I. Prænot. II.

(1) Diſquiſit. 2.

Digitized by Google

mus, & quo ſenſu accipienda ſint, ut Veritas illis conſtet, oſtendimus, cuiuſmodi eſt illud omnium ſermone tritum. *Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*, itemque aliud: *Ea eſt vera alicuius effectus Cauſſa, qua poſita ſequitur, qua ſublata non habetur effectus*. Nonnulla denique ab uſurpata dudum certitudinis poſſeſſione deiecta Probabilitatis finibus coercemus: Quæ ſane omnia longe nos a Scepticorum moribus, ac ratiocinatione ſeiungunt: Adde, quod invidiam a nobis huiusmodi providi avertimus in eadem Diſquiſitione (1) ante occupando videlicet, quod obiici a quopiam nobis poſſe videbamus, ac diluendo. Quod autem ſubdit Vir idem doctiſſimus, Fundamentis non ſemper ſolidis Canones noſtros inniti, probatione indigebat, quam pronis auribus parati ſumus excipere, & ubi Ratio dictet, palinodiam canere Sapientiſſimorum Virorum exemplo.

Canon VIII. Omni opinione anticipata mens eſt exuenda, ac perinde Veritas inveſtiganda eſt, ac ſi nihil unquam de illa ſciverimus. Validius, ac tenacius erit præiudicium, quum ab ineunte ætate nobis fuerit impreſſum, ac nobiſcum adoleverit, atque hinc

(1) Ibid. §. ultimo *Concluſio*.

Digitized by Google

fit, ut difficile ad momenta in oppoſitum animum advertamus (a).

Nonne ex anticipata opinione hominum vulgus mira de pulvere sympatico prædicabat? Atque id tanta firmitate, atque certitudine, ut ope Dæmonis id contingere cum ſuſpicaretur, religione quidam tacti ex Sacra Congregatione ſcitati ſint, num huius pulveris uſus

(a) Hæc ſcite ſapienterque ſervanda eſſe iubet Summus non auctoritate modo, ſed & doctrina Pontifex Benedictus XIV. in examine, & proſcriptione librorum: „ De variis, inquit, opinionibus (1), atque ſententiis in unoquoque libro contentis, animo præiudiciis omnibus vacuo iudicandum ſibi eſſe ſciant: Itaque Nationis, Familiæ, Scholæ, Inſtituti affectum excutiant, ſtudia partium seponant: Eccleſiæ Sanctæ dogmata, & communem Catholicorum Doctrinam, quæ Conciliorum Generalium decretis, Romanorum Pontificum conſtitutionibus, & Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum conſenſu continetur, unice præ oculis habeant: hoc de cætero cogitantes, non paucas eſſe opiniones, quæ uni Scholæ, Inſtituto, atque Nationi certo certiores videntur, & nihilominus ſine ullo Fidei, aut Religionis detrimento ab aliis Catholicis viris reiiciuntur, atque impugnantur, oppoſitæque defenduntur, ſciente, atque permittente Apoſtolica Sede, quæ unamquamque opinionem huiuſmodi in ſuo probabilitatis gradu relinquit.

(1) Conſtitut. qua Methodus præſcribitur in examine, & proſcriptione librorum ſervanda §.17. III.

Digitized by Google

uſus permitti poſſet? Rem autem intra naturæ vires eſſe Cl. Lemery (a) oſtendit.

F 2 CA-

(a) Poſt tentamina phyſica a Domino Lemery habita deprehenſum (1) a phyſicis eſt Blateronum commenta fuiſſe, quod in maxima decem leucarum diſtantia virtute huius pulveris vulnera curarentur: ſed in minimo ſpatii intervallo id accidere obſervatum eſt: Atque id naturali virtute materiæ, qua pulvis conſtat, contingere: Ex chalcanto enim radiis ſolaribus exſiccato, in calcem redacto, atque in minutiſſimum pulverem contrito ſubtiliores, atque actuoſiores particulæ circumvolitantes in vicinum vulnus cadunt, eique inhærentes vulnus exſiccare incipiunt. Et licet in more poſitum ſit, ut ſupra linteum sanguine aſperſum pulvis imponatur; id probat naturæ vi, rem accidere: quippe cum tum ex vulnere tum ex linteo Sanguinis particulæ avolent facilius coniunguntur ſimul, & facilius actuoſiores pulveris particulæ ſimul cum Sanguine ex linteo deferuntur ad vulnus, quod ex eo conſtat, quod recens ſit oportet vulnus, ut curari hoc pulvere poſſit.

Quod ante ipſum deprehenderat P. Claudius Franciſcus Milliet de Chales (2): *Teſtis sum*, inquit, *oculatus aliquem, qui acerbiſſimo dentium dolore cruciabatur ex gingiva modicum Sanguinis expreſſiſſe, & Strophiolo excepiſſe, quem Sanguinem pulvere Sympathico aſperſit. Mirum dictu! intra breve tempus, quo recitaretur bis Miſerere ceſſavit dolor ille acerbus: reſiduus tamen erat aliquis, unde iuſſit calefieri ſtrophiolum, & den-*

(1) In Chymia pag. 402.
(2) Lib. 2. de Magnete prop. IX.

CANON IX. Cavendum quoque a Voluntatis adfectionibus: ipsæ enim ita tenebras menti offundunt, ut rationibus vel validissimis nervos, ut ita dicam, præcidant.

CANON X. Uni sensuum testimonio ne fidat omnino Criticus: iudicium quippe veritatis non est in solis sensibus, sed cunctis recta ratio moderetur: etenim si uni sensuum testimonio standum esset, in plures, nec leves induceremur errores; quippe cum ex diversis circumstantiis diverso modo ab obiectis affici possint, diverso quoque modo, & non ut in se est obiectum, repræsentant: quis enim baculum in aqua fractum non diceret? Quis quadratas turres procul adspectas, rotundas non assereret? Quis amicum loquentem non crederet in locis, ubi est Echo, & sexcenta huiusmodi cum Epicureis admittere non co-

denti admovit, denuo cæpit cruciari ita acerbe, ut dolor lacrymas exprimeret. Ego qui intereram, petii, an Strophiolum illud esset, quo sanguine ex gingiva expressum exceperat, cumque annueret, subrisi, quod dolorem novum ex calefactione ortum esse intelligerem: quare iussi, ut strophiolum aquæ immergeretur, eique redderetur, intra tempus, quo recitatur psalmus Miserere, dolorem omnem cessasse asseruit. Dico ergo me non dubitare dari aliquem spirituum regressum ad vulnus, e quo desumptus est sanguis.

Digitized by Google

cogeretur? Verum quum a recta ratione hæc omnia dirigantur, quumque ex ipsa noscamus lucis radios, e medio densiore in rarius transeuntes a perpendiculari, ut aiunt, recedere, atque ob obiecti distantiam angulos attenuari, atque adeo evanescere, nec imprimi nudis oculis, ac tandem ubi Echo audivimus, hominum voces cavernis, rupibus, aliisque obstaculis repercussas ad aures redire; Hinc integrum iudicamus baculum in aqua, quidquid sensus renuncient. Turres quadratas dicimus, nec ibi amicum loquentem putamus. Neque tamen sensuum testimonium est omnino repudiandum; immo quum nulla obstet gravis ratio, quum nulla extet in oppositum certa experientia constanter ab aliis habita, & nullum sit impedimentum ex parte organi, ex parte medii, atque ex parte obiecti, tunc de obiecto iuxta sensuum renunciationem poterit mens iudicare.

Canon XI. Hic omissas nolumus regulas (prudenter illas tamen, cauteque, & citra Religionis detrimentum in iis tantummodo, quæ dubitationi locum relinquunt adhibendas) quas pæne ad verbum ab Aristotele excerptas, tamquam novum inventum sibi tribuit, atque in philosophando proponit dissertatione de Methodo Cartesius.

Digitized by Google

CARTESIUS

I.

(1) Semel in vita de omnibus iis ſtudeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus.

II.

(2) Ut difficultates in tot partes dividerem, quot expediret ad illas commodius diſſolvendas.

III.

(3) Ut incipiendo a rebus ſimpliciſſimis, & cognitu facillimis .... ad compoſitorum cognitionem adſcenderem.

IV.

(4) Ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis tam perfecte .... ad ſingula circumſpicerem, ut nihil a me omitti eſſem certus.

(1) Princ. Philoſ. p.1.n.1.4.
(2) Differt. de Meth. p. 12.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.

ARISTOTELES

I.

(1) Scientiam qui quærunt, niſi primo dubitent, ſimiles illis ſunt, qui quonam ire oportet ignorant .... finis illi, qui antea dubitaverit pateſcit.

II.

(2) Iis qui hæc, quæ ſunt magis confuſa, dividunt, ex ipſis elementa, & principia innoteſcunt.

III.

(3) Naturaliter conſtituta eſt via ab iis, quæ ſunt nobis notiora, & clariora, idcirco ab univerſalibus ad ſingularia progredi oportet.

IV.

(4) Ad illam quæ quæritur, ſcientiam ..... omnes primo difficultates ſpeculari par eſt.

CA-

(1) Text. 4. Metaph. lib. 3. c. 1.
(2) Text 1. Nat. Auſcul.
(3) Ibidem.
(4) Text. 4 Metaph. lib. 3. c. 1.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quanti faciendum sit in Arte Critica Argumentum ex testimonio Veterum, & ex Antiquis MSS.

PAucis rem complectar: Maximum Critices fundamentum, in factis præsertim historicis, esse Veterum auctoritatem, necnon antiqua non suspecta MSS., communissima est omnium ferme Criticorum Sententia: quo sane præsidio si destituta fuerint, quæ antiquioribus sæculis facta esse perhibentur, fidem apud sanos Criticos non inveniunt.

Hinc Tillemontius in epistola ad Lamy: *Si nullis rationibus confirmata prodantur, quæ ante annos ducentos, aut trecentos evenerunt, fidem ipsis derogamus, præsertim Græcis Scriptoribus, qui ut Iudæi ad excogitandas, & hauriendas fabulas mirifice facti sunt.*

Cui consonat Mabillonius (1): *Cum neque Auctores æquales, nec alii unius, aut duorum Seculorum intervallo bis succedentes de re aliqua loquuti sunt, de qua recentior aliquis nulla ductus auctoritate, testimonium dicit, nihil ipsi deferendum est.*

Idipsum habet Launoius (2): *Quum nullus*

(1) De studiis Mon. p. 2. cap. 8.
(2) Tom. 2. part. 1.

Digitized by Google

inquit, *omnino Scriptor æqualis, vel suppar alicui facto, quod memoria dignum fuit, præstat testimonium, tunc ex eo silentio, quod ducentorum plus minus annorum æstimari potest, efficax depromitur Argumentum.*

Neque vero aliter sentit Eminentissimus Baronius (1), *Quod a recentiori Auctore*, ait, *profertur, contemnitur*. His subscribit Honoratus a S. Maria, aliique.

Ex testimoniis hisce lites diremptas legimus apud Aulum Gellium (2): *Antonius Iulianus contendebat, scripsisse Ennium in quodam versu Quadrupes Eques, non Equus*, quod probabat ex vetusto Codice, de quo hæc habet: *Librum summæ, atque reverendæ vetustatis fere constabat Lampadionis manu emendatum studio, pretioque multo unius versus inspiciendi caussa conduxi*, & Eques non Equus *scriptum in eo versu inveni*.

Enim vero Augustinus argumentis a codicum antiquitate ductis Manichæos refellit: *Manichæi*, inquit, *plurima* (3) *divinarum Scripturarum, quibus eorum nefarius error clarissima sententiarum perspicuitate convincitur, quia in alium sensum detorquere non possunt, falsa esse con-*

(1) Tom. 1. Diss. 2. part. 2. art. 5.
(2) Lib. 18. c. 5. (3) Epist. 82.

Digitized by Google

contendunt, ita tamen ut eamdem falsitatem non scribentibus Apostolis tribuant; sed nescio quibus Codicum corruptoribus. Quod tamen quia nec pluribus sive antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ auctoritate, unde latini libri interpretati sunt, probare aliquando potuerunt, notissima omnibus veritate superati, confusique discedunt.

CAPUT V.

De Mendosis libris, & MSS. Veterum: De Mendorum Origine, ac de Legibus ea dignoscendi, atque emendandi.

DE Mendis in libros irrepentibus, immo, & grassantibus ætate vel sua querebatur Tullius, ut ex epistola ad Q. Fratrem (1) liquet: *De latinis vero libris*, ait, *quo me vertam nescio, ita Mendose & scribuntur, & vendeunt.*

Quapropter maximi id temporis etiam emendatiores codices a doctissimis viris fiebant, teste Aulo Gellio (2): *Apud sigillaria forte in libraria*, inquit, *ego & Iulius Paullus vir memoria nostra doctissimus, consederamus, atque ibi expositi erant Annales Fabii bona, atque sin-*

(1) Lib. 3. Epist. 5. (2) Lib. 5. cap. 4.

Digitized by Google

ſinceræ vetuſtatis libri quos venditor ſine mendis eſſe contendebat Grammaticus autem quiſpiam de nobilioribus ab emptore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe unum, in libro Mendum dicebat: ſed contra Librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una nuſpiam litera delictum eſſet &c.

Ex Irioribus ait Seneca (1), *quædam ſine ſenſu sunt, ut Librum quem minutioribus literis scriptum ſæpe proiecimus, & Mendoſum laceravimus.*

Quod & aperte etiam Strabo (2) firmat inquiens: *Librorum, Venditores quidam ineptis uſi scribis, neque cum exemplari deſcripta comparantes &c.*

§. I.

De Mendorum Origine.

IMperitia, & Incuria in cauſſa ut plurimum ſunt Mendorum (*a*): Librarii enim, qui feſtinanter lucri cauſſa MSS. tranſcripſerunt, & puncta, & commata omittentes, obſcuram,

(*a*) De Membrorum Origine, & Cauſſis Tractatum edidit Henricus Stephanus. Videri poteſt etiam Mabil. de Stud. Mon. p. 2. cap. 16. Cleric. Art. Crit. T. 2. Sect. 1.

(1) Lib. 2. de Ira cap. 26.

(2) Lib. 13. pag. 609. Paris.

Digitized by Google

ram (a), dubiam, & oppoſitam quandoque vero Auctoris ſenſui reddiderunt orationis sententiam

(a) Eruditos nonnullos offendit, quod inter mendorum cauſſas recenſuerimus omiſſa quandoque Puncta, & Commata: Quippe qui nulla in MSS. fuiſſe huiuſmodi diſtinctionis ſigna contendant: Veteres enim ſolis punctis contentos fuiſſe: Morem autem ſenſus diſtinguendi per puncta, & Commata recentiſſimum eſſe, atque a Manutiis inductum.

Pace tamen tantorum virorum dicam, plura ipſi confundunt, atque in pluribus non leviter errant: Non equidem negaverim Aurea Latinorum ætate cum ita continenter verba ſcribebantur, ut vix unum ab altero diſcerni poſſet, poſt ſingula verba punctis uſos fuiſſe veteres (licet hæc ipſa quandoque omiſerint, cum diſtinctius verba exarata fuerunt, ut ex Grutero refert Chriſtophorus Cellarius (1). Verum ex Cellario eodem novimus, antiquos Grammaticos, poſtquam deſiit latinitas vulgaris eſſe, hæc diſtinctionis ſigna diſpoſuiſſe eo ordine, qui hodieque ſervatur, quod ſane multo ante Manutios factitatum, apertiſſimum eſt. Profecto Cl. Mabillonius de diſtinctionum ſignis loquens (2), ait, *interpunctionum ille uſus serius in Diplomatibus obtinuit, in libris vero ita obſervatum eſt ab annis fere octingentis, ut interpunctio in inferiori parte extremi vocabuli virgulam, in media duo puncta, in ſuperiori punctum, ſeu ſenſum finitum deſignaret, aliquando tria puncta: Quæ sane diſtinctio apud accuratos amanuenſes obtinuit; ſecus apud rudes.* Atque idem

(1) Orthographia latina parte priori, ubi de ſignis diſtinctionis. (2) Lib. I. cap. XI. de Re diplomatica.

Digitized by Google

tiam. Hinc Eraſmi hallucinatio putantis ex illis Apoſtoli verbis ad Romanos 9. *Ex quibus eſt*

idem ipſe refert, Carolum Magnum curaſſe, ut per Paulum Warnefridum, & Alcuinum, hic qui iam exoleverat diſtinctionum ordo reſtitueretur, quorum primus homilias, quæ per annum legi conſueverunt, & aliquas Auguſtini Epiſtolas: Alter librum *Comes* inſcriptum interpunctionibus diſtinxerunt. Alcuinus (1) hæc verſibus expreſſit. Per cola diſtinguant proprios, & commata verſus, & punctos ponant ordine quoſque ſuo.

Præter hoc Cl. Mabillonii teſtimonium, illud etiam extat Caſſiodori, qui in præfatione Inſtitutionis Divinarum Lectionum: *Illud quoque*, ait, *credidimus commonendum, Sanctum Hieronymum ſimplicium Fratrum conſideratione pellectum in Prophetarum præfatione dixiſſe, propter eos, qui diſtinctiones non didicerunt apud Magiſtros ſæcularium litterarum colis, & commatibus translationem ſuam, ſicut hodie legitur, diſtinxiſſe: Quod nos talis viri auctoritate commoniti ſequendum eſſe iudicavimus, ut cætera diſtinctionibus ordinentur.* Quænam vero fuerit D. Hieronymi diſtinctionum ſigna, quiſve ordo, aperte non conſtat, inquit enim (2) ipſe: „ Qua idem in Demoſthene, & Tullio fieri ſolet ut per Cola ſcribatur, & commata „ at ſi ex iis quæ Caſſiodorus ſtatuit, colligere licet, D. Hieronymi ſigna comperimus sane illa ipſiſſima eſſe, quibus

(1) Epiſt. 15.

(2) In præfet. ad translat. Iſaiæ. Vide Leonem Allatium in animadverſ. in fragmen. Etruſc.

Digitized by Google

eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula, non satis conficiChri-

bus in præſentia utimur. Audiamus Caſſiodorum (1), qui Hieronymum ſibi imitandum propoſuerat diſtinctiones haſce Monachos ſuos docentem: *Illud etiam*, inquit, *vos magnopere credidi commonendos, ut diſtinctiones ſenſuum ſollicita mente perquirere, ac ponere debeatis, ſine quibus, neque legere quicquam competenter, neque intelligere pervalemus. Scire autem debemus Donatum Artigraphum de Poſituris ita tractaſſe, ut non ibi ordinem, ſed virtutes earum potius exprimere videatur. Nam ſi diſtinctionum ſeriem per gradus cognitos ſequeretur, primo plenam, deinde mediam nequaquam ponere potuiſſet: deinde magis inciperet, ubi prædictæ poſituræ ad finem tendere comprobantur: Sequitur diſtinctio deinde media, quæ plena semper præcedunt potius, quam ſequantur: ſed ſicut viſum conſtat eſſe doctiſſimis, hunc debemus Ordinem cuſtodire, ut primo de ſubdiſtinctione dicamus, quæ ibi ſemper apponitur, ubi in Commate ſermo ſuſpenſus adhuc reddendus eſſe cognoſcitur, ut*

Arma, virumque cano. *Ubi tertius operis ſumma concluſa eſt:* Arma *enim Ancilia Virgilius*, virumque *dicturus eſt, ſed quoniam* cano *reſpicit ad utrumque, hic in* arma *ſubdiſtinctio recte ponenda eſt: Mediam vero affigendam conſtat in commate, quum nullus ſermo deeſt, ſed gradatim tendit ad plenam, ut*

Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis

Plena eſt autem, ubi finitur perfecta ſententia, ut eſt illud

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

(3) Tract. de Ortographia in præf. *Sub-*

Chriſtum Dominum vere Deum eſſe : quippe poſt verba illa : *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*

Subdiſtinctionem vero, vel mediam ne credas ipſum ordinem semper tenere, quem diximus, ut subdiſtinctio præcedat, & media conſequatur : sed pro ratione supradicta locis congruis apponuntur, ut Diſtinctiones iſtæ bene poſitæ ſenſum nobis lectionis evidenter aperiant : Nam ſi aliter diſtinguas, ſine dubitatione cuncta confundis : has vero diſtinctiones, seu poſituras, Donato teſte Θέσεις *vocant. Diaſtole*, ait Sergius in Donati primam editionem, *eſt nota contraria Hyphen: hac enim nota vitioſe iuncta separamus, & ponitur ad imam partem literæ.*

Figura illius, ut notat Scaliger (1) erat virgula perpendicularis ; ne tamen acciperetur pro vocali I. curvam pinxere, cuius cornua præcedentem connectendo dictionem præſcribebant ei notas quaſdam. Verumtamen quum Diomedes, Priſcianus, Donatus, & Maximus Victorinus aſſerant Diaſtolem eſſe dexteram partem circuli ad imam literam, eam nonnulli disiunctioni, quam in Scholis hodie virgulam vocamus, ſimilem fecerunt hac nota,) Nonnulla huiuſce rei exempla habet Euſtathius in Iliad. Θ pagin. 701. & 1170. Hæc paucioribus expreſſit Iſidorus (2) *Sunt tres poſituræ*, ait, *prima subdiſtinctio dicitur, eadem & Comma : Media diſtinctio sequens, & ipſa eſt Colon : ultima diſtinctio, quæ totam ſententiam claudit, punctum.*

Quæ modo ex Cellario, ex Mabillonio, ex Caſſiodo-

(1) De Cauſſis Ling. Latinæ lib. 2. cap. 57.
(2) Lib. 1. Orig. cap. 19.

Digitized by Google

carnem in græco D. Chryſoſtomi Codice punctum appoſitum ſe obſervaſſe refert: Quare quæ ſequuntur voces: *Qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula* referri cenſet ad Patrem in gratiarum actionem; Verum librariorum vi-

doro, aliiſque retulimus, diſerte oſtendunt diſtinctiones huiuſmodi non ex Manutiis inductas fuiſſe: qui ſane Manutii diu poſt Alcuinum, & Warnefridum, Caſſiodorum, & Donatum fuerunt: Alcuinus quippe, & Warnefridus, qui hæc ſigna reſtituerunt, tempore Caroli Magni floruere: Caſſiodorus circa quingenteſimum hæc ſcripſit, nominatque ante ſe D. Hieronymum, & Donatum; Manutii vero poſt mille, & quadringentos annos vixere, quod erat primum. Secundum non obſcure ex his ipſis colligent Lectores: etenim ætate Caſſiodori huiuſmodi diſtinctionis ſigna in uſu erant; at tunc temporis nihil niſi MSS. erant. cum ars typographica non ante milleſimum quadrigenteſimum annum inventa fuerit: ut modo in notis fuſe referemus, in MSS. igitur, & puncta, & commata erant.

At de MSS. aureæ ætatis id se pronunciaſſe fortaſſe inquiunt. Verum cum nos generatim de MSS. Mendis, in quibus commata erant, loquuti fuerimus, hanc in nos cenſuram cohibere potuiſſent: debuiſſentque ipſi inter aureæ ætatis MSS, & alia quæ poſt ætatem auream fuerant MSS. diſtinguere, seque profiteri de primis, non de aliis ſententiam protuliſſe (*a*).

(*a*) Fuſius de diſtinctionum ſignis ubi de Re Diplomatica Cap. VIII.

Digitized by Google

vitio vertendum eſt, Eminentiſſimo Bellarmino teſtante, in textu græco Chryſoſtomi non punctum, ſed virgulam poſt verba illa eſſe: Melioris autem notæ Codicem fuiſſe illum laudati Bellarmini ex eo conſtat, quod alibi Chryſoſtomus ipſe, aliique PP. ad Chriſtum Dominum verba illa referunt.

Incuria quoque factum eſt, ut adfinia vocabula tranſcriberent: & quæ ad exemplaris marginem viderint, in orationis corpus conjecerint.

Hoc autem loci opportunum reor admonere, ſedulo expendendum, an quæ in margine codicis locata reperiuntur, locum illum obtinuerint ab Auctore: an eo ſint reiecta a Librariis, qui negligenter exſcripſerint, an a Corruptoribus per fraudem adiuncta; an demum a Correctoribus reſtituta. Quod ſane eruditus Criticus diſcet, ſuum cum aliis MSS. conferendo, cauſas examinando, cur in margine adnotari potuerit, Auctores, qui de eodem argumento tractarunt, perlegendo &c.

Quæ quum non ignorarent Litterati Viri, ſilentium veluti indixerunt celeberrimæ illi Quæſtioni, Suppoſititia ne eſſent, an Genuina illa S. Ioannis verba epiſt. 1. cap. v. verſ. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater,*

Ver-

Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.

Ex eo enim aliqui dicebant ſuppoſita eſſe, quia plura MSS. extarent, in quibus hæc ſententia non legebatur: atque alia in margine notatum habebant (*a*).

G Con-

(*a*) Operæ pretium erit rem omnem paucis exponere, & canonem exemplo confirmare: In Ioannis Epiſtola bis legebantur verba illa *Tres sunt qui teſtimonium dant*, ac primum quidem ad Patrem, ad Verbum, ad Sp. Sanctum, qui dicebantur Unum eſſe, referebatur: Secundum ad Spiritum, Aquam, & Sanguinem: ſed incurioſus, ac feſtinans Librarius verborum deceptus ſimilitudine, quæ media erant præteriit, omiſſis, quæ de Patre, Verbo, & Sp. Sancto, eorumque extabant Unitate, ad Aquam, Sanguinem, & Spiritum devenit per ſaltum.

Profecto id ex eo liquet, quod teſtetur Illuſtriſſimus Meldenſis, nullum ex omnibus, quæ proferuntur, MSS. maiorem præſeferre antiquitatem Patribus, qui in ſuis operibus verba illa ut D. Ioannis citant: Etenim antiquiſſimi Patres Fulgentius, Ruſpenſis, Eugenius Carthaginienſis, Vigilius Tapſenſis, aliique quadringenti ex Africana Eccleſia in Fidei profeſſione exhibita anno 484. Unnorico Vandalorum Regi hæc habent(1): *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis eſſe cum Patre, & Filio, Sp. Sanctum doceamus, Ioannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur: ait namque Tres sunt, qui Teſtimonium perhibent in Cælo Pater, Verbum, & Sp.*

(1) Apud Vict. Viten. lib. 3. de perſecut. Vandal.

Contra quos alii regula paulo ante a nobis tradita opportune ſunt uſi, ac Librariorum erro-

Sp. Sanctus, & hi tres unum ſunt. Nec id semel Fulgentius, & per tranſennam ſcripſit, ſed pluries, diverſiſque in locis repetit: ſic etiam lib. 1. de Trinit. cap. 4. *Ego*, inquit, *& Pater unum ſumus: Unum ad Naturam referre nos docet: Sumus ad Perſonas ſimiliter & illud: Tres ſunt qui Teſtimonium dicunt in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt. Item in lib. reſponſ. contra Arianos reſponſ 10. Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens Tres ſunt, qui Teſtimonium perhibent in Cælo Pater, Verbum, & Sp. Sanctus, & Tres unum ſunt. Quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtola de unitate Eccleſiæ confitetur dicens, dicit Dominus Ego, & Pater unum ſumus, & iterum de Patre, & Filio, & Sp. Sancto ſcriptum eſt, & Tres unum ſunt.* Quod ſane Ariani, qui tunc temporis erant, non negabant, ut ex MSS. Africanis apparet.

Idipſum conſtat ex D. Hieronymo in Prologo vulgato eius nomine in epiſtolas canonicas, vel ex auctore, quiſquis is ſit illius Prologi, qui ſane nongentis abhinc annis extitiſſe ex eo liquet, quod in illius ætatis MSS. inveniatur, loquens Auctor de Conſubſtantialitate Perſonarum hæc habet: *In qua ab Infidelibus translatoribus multum erratum eſſe Fidei veritate comperimus: Trium tantum vocabula, hoc eſt Aquæ Sanguinis, & Spiritus in ſua editione ponentes, & Patris, Verbique, & Spiritus teſtimonium omittentes, in quo maxime, & Fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, ac Sp. Sancti una Divinitatis ſubſtantia comprobatur.*

Au-

Digitized by Google

errori defectum , qui erat in corpore codicis , Correctoris induſtriæ tribuerunt ſupplementum in margine .

Inter Mendorum cauſſas præterea non ultimum habent locum characteres non satis noti , ut Longobardici , Maiuſculum , Quadratum &c. (*a*)

Item emendandi libido quæ illitteratos homines afficere conſuevit , ex qua factum non

Auctor item diſputationis in Concilio Nicæno inter opera Athanaſii, ait: „ dicente Ioanne Evangeliſta in Epiſtola ſua : Tres ſunt qui Teſtimonium dicunt in Cœlo Pater , Verbum , & Sp. Sanctus .„

In Lateranenſi pariter Concilio ſedente Innocentio III. , ut genuina habita ſunt Ioannis verba a Patribus Latinis , & pluribus Græcis , qui convenerant, illorumque communi auctoritate inſtructio data eſt , in qua verba illa , ut Ioannis referuntur . Poterat hic adduci Teſtimonium D. Cypriani epiſt. ad Iubaianum; verum cum a Simonio (1) acriter reſpuatur , neque ſit hic diſputandi locus , & voluptas, ſed ſolum exempli alicuius non prætermiſſa opportunitas , ab hoc , aliiſque lubenter abſtinemus . Quare iure optimo hæc præ oculis habentes eruditiſſimi Correctores , quod in corpore deerat, in margine adnotatum voluerunt, quæ proinde MSS. nullam hac de cauſa ſuſpicionem ſui creant apud Sapientes Criticos .

(*a*) Vide Cap. VIII. huius Operis , ubi ex profeſſo hac de re agitur .

(1) Hiſtor. Critique D. N. I. cap. 18.

Digitized by Google

varo eſt, ut quæ emendatione egebant, intacta reliquerent, & quæ ad rem erant, emendarent, ſeu potius depravarent: Sic Athenodorus Stoicus Pergamenæ Bibliothecæ Præfectus e libris Stoicorum, ait Diogenes Laertius (1), qui in ea erant Bibliotheca, quæ prave dicta ſibi videbantur reſecaſſe dicitur. Item: *Si Paragrammata*, ait Hieronymus (2) *reperiens, vel minus aliqua deſcripta ſunt, quæ ſenſum legentis impediant, non mihi debes imputare, ſed tuis, & imperitiæ Notariorum, Librariorum incuriæ, qui ſcribunt, non quod inveniunt, ſed quod intelligunt, & dum alienos errores emendare niruntur, oſtendunt ſuos*: Et reapſe Librariorum vitio ita ſe depravatum inveniſſe librum adnotationum in Iob, inquit Auguſtinus, ut vix audeat illum pro ſuo agnoſcere.

Multa porro Vetuſtatem ipſam induxiſſe Menda mirum nemini erit, qui animadverterit edaci temporis dente membranam, & chartas facile abſumi: Id Ariſtotelis libris accidiſſe refert Strabo (3), qui poſtquam narravit ab Ariſtotele Bibliothecam traditam eſſe Theophraſto, & a Theophraſto Neleo, ſubdit: *Hic libros Scepſin traslatos poſteris ſuis reliquit indoctis*

(1) In Zenone. (2) Epiſt. 71. num. 5.
(3) Lib. 13.

Digitized by Google

doctis hominibus, qui incurioſe poſitos sub clavibus habuerunt; quum vero intellexiſſent studium Attalicorum Regum, quibus Scepſis parebat, conquirentium libros ad inſtituendam Pergami Bibliothecam, ſub terra ſuos in foſſa quadam occultaverunt: humore vero, & blattis vitiatos, sero tandem, qui ex ea erant stirpe Ariſtotelis, Theophrastique Libros Apelliconti Teio magna pecunia vendiderunt: erat autem Apellicon potius librorum studioſus, quam Philoſophiæ; itaque eroſarum particularum quærens instaurationem in nova libros transtulit exemplaria, lacunas non recte implens, ediditque libros mendorum plenos.

Idem accidiſſe hebraicis nominibus monet D. Hieronymus (1): *Sciat Lector*, inquit, *omnia prope verba hebraica, & nomina, quæ in græca, & latina translatione ſunt poſita, nimia vetuſtate corrupta; Scriptorum vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur, inemendatiora, de verbis hebraicis facta eſſe Sarmatica: imo nullius gentis, dum & hebræa eſſe deſierint, & aliena eſſe non caperint.*

(1) Cap. 40. Ezecch.

Digitized by Google

§. II.

Canones proponuntur, quibus Supposititii, & Mendosi Codices dignosci possint.

CANON I. ANtiquiores ut plurimum minus suspecti sunt: exaratos enim illos credimus temporibus proximioribus Auctori: Suspecti habendi sunt qui per plurium manus ad nos pervenerunt, & de eorum successione non constat, præsertim si ab aliis in pluribus discrepent.

CANON II. Antiquitas a Materia in qua exarati (*a*) sunt a charactere, & eiusdem forma fa-

(*a*) Prima Materia fuit, teste Iosepho (1) Lapides: *Seth*, ait, *imitatores sui filios habuit, qui facientes columnas duas, alteram ex lateribus, alteram ex lapidibus, in ambabus, quæ invenerant conscripserunt, ut si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere.*

Transiit hic mos teste Plinio (2) ad Babylonios, & Phœnices, quorum Primi lateribus, Alteri lapidibus, quæ memoria digna erant insculpserunt, quam consuetudinem Romani, aliæque Gentes amplexati sunt, ut ex lapidibus Gruterianis abunde liquet. Hos in ære quoque fœdera cum populis sculpsisse ex Livio novimus

(1) Lib. 1. Antiquit. cap. IV.
(2) Lib. 7. cap. 56.

Digitized by Google

tuus (1), qui *Fœdus ictum*, ait, *cum Latinis fuisse insculptum in Ænea columna*.

Suorum Maiorum gesta Danos cautibus commisisse, ait Saxo Grammaticus (2). Gallorum vero monumenta Argentea quandoque fuisse, Trithemius refert (3).

In Palmarum foliis Ægyptios scriptitasse refert Plinius (4). At loco *Palmarum*, *Malvarum* legit Henricus Salmuth (5), ductus auctoritate Guilandini, quam lectionem sequitur etiam Scaliger (6): sic C. Hennius Cinna apud Isidorum

Levis in aridulo Malvæ descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula

Pro utraque vero Materia stat Isidorus (7): *In Malvarum foliis, atque Palmarum scribi solitum*.

In Oleæ foliis Exulum nomina Syracusanos Iudices notasse Auctor est Diodorus Siculus (8).

Loco Foliorum arborum interiores quarumdam arborum tunicas successisse Plinius idem (9) refert: *In foliis*, ait, *primo scriptitatum, deinde quarumdam arborum Libris*. Quarum tres species indicat Ulpianus (10). Tiliam scilicet, Phillyram, & Papyrum.

Schedas in usu dein fuisse idem Plinius, ait (11), ubi schedis legendum non Ceris, ut ex omnibus MSS. notat Scaliger (12): *Aliud est Cera*, inquit, *aliud est*

(1) Decad. 1. Lib. 2. (2) Præfat. Hist. Dan.
(3) Lib. 1. Brev. Annal. Franc.
(4) Lib. XIII, cap. 11. (5) In Natis Panciroli.
(6) Lib. contra Guilandinum. (7) Lib. 6. cap. 12.
(8) Lib. 11. (9) Lib. 13. cap. 11.
(10) ff. de Leg. l. 52, (11) Lib. 13. cap. 11.
(12) Lib. contra Guilandinum.

Digitized by Google

Scheda; *Scheda non eſt deletilis : erit enim Tabella Lignea : Scheda græcis idem eſt , ac nobis Tabella*. Vide Iacobum Perizonium (1), Feſtum (2), Heinecium (3), & Antonium Ferratium (4).

Erant eiuſmodi Tabellæ etiam ex ebore : *Ad diſcendum*, ait Quintilianus (5) *irritandæ infantiæ gratia eburneas etiam literarum formas in ludum offerre notum eſt*. Quod & Hieronymus ad Lætam.

Quoniam tabellæ huiuſmodi ceræ cruſta illitæ erant, & pungebantur Cerei pugillares, Pugillar, Pugillares, & Pugillaria dictæ ſunt, ut ex Ariſtophane, & Cratino refert Pollux (6).

Plumbea extitiſſe Volumina teſtatur Plinius (7), quod firmat Suetonius, qui chartam plumbeam nominat in Nerone (8), at cum bis, terve evolutum, & convolutum diſſecaretur, & in fruſtra diffrangeretur, obſolevit. A crebra Volutione Volumina, teſte Iſidoro (9) dicta ſunt.

Linteis Privata Monumenta confici cæpta ſunt, ut refert Plinius (10), & Vopiſcus (11), quidquid in oppoſitum ſentiat Tournebus (12), qui pro *Linteis Luteos* legit in Aureliano Vopiſci : eo vel magis quod Marcianus Cappella (13), & Philoſtratus (14) Materiam in

(1) In Notis ad Ælianum var. Hiſt.
(2) Ver. *Tabella*.
(3) In Append. Antiq. Rom. ad Inſtit. cap. 1. §. 31.
(4) Lib. 3. epiſt. 4. (5) Inſtit. Orat. cap. 1.
(6) Lib. 10. cap. 14. (7) Lib. 13. cap. 11.
(8) Cap. 15. (9) Lib. 6. cap. 13.
(10) Lib. 13. cap. 11. (11) In Aureliano.
(12) Lib. 29. cap. 20. (13) In Proœm. Gram.
(14) In vita Apollonii.

Digitized by Google

facile colligitur: Plerique Codices (*a*) Quadrata utuntur Figura; licet extent tabellæ consulares oblongæ. Alii quoque habentur sinceræ vetustatis characteres, ut Foliorum Numerus (*b*): Elementorum Mutatio &c. de qui-

in qua scribi tunc temporis consuevit, Carbasinos, & Sindones fuisse dicant. Carbasus hæc num Serica fuerit, an Bombycina disceptant Salmasius (1), & Lipsius (2).

Aderat & Papyrus, seu Charta Nilotica, Charta Bombycina, Membrana, atque Nostrates. At de his aptius infra, quum de Re Diplomatica.

De Characterum diversitate, ne bis idem conficiamus, vide de Re diplomatica infra, ubi & singillatim & fuse de his dicemus.

(*a*) Codices dicebantur, de qua voce plura habet Salmasius (3), non tantum qui ex arborum Codicibus, unde nomen Codicis, sed etiam qui ex quavis alia materia fiebant teste Ulpiano (4), qui *Librorum appellatione*, ait; *continentur omnia Volumina sive in Charta, sive in Membrana, sive in quavis alia Materia*.

Item Seneca (5): *Plurium tabularum contextus Caudex apud antiquos dicitur: unde publicæ Tabulæ Codices dicuntur*.

(*b*) Antiquos Codices ex quaternionibus plerumque,

(1) In exercit. Plinii. (2) In 2. Annal. Taciti.
(3) De mod. Usur. c. 10.
(4) Leg. 52. ff. de Legat. III.
(5) De Brevit. Vit. cap. 13.

Digitized by Google

quibus mox redibit ſermo, quum de Re Diplomatica agemus.

CANON III. Quoniam una MSS. Antiquitas non ſufficit, quum adſint Vetuſta MSS. Vitioſa, duo ſunt, quæ ipſa mendis carere oſtendunt, Antiquitas ſcilicet, & Peritia Librarii, ut ille erat, quem Sidonius Apollinaris commendat (*a*), necnon Fides, Diligen-

que, ſeu quatuor foliis noſtris ſimul coniunctis, id eſt octo paginis conſtare ait du Freſne (1); Montfaucon vero cenſet Quaterniones Librorum quatuor foliis duplicatis, ſeu octo foliis, & ſexdecim paginis (2); Niſi dicere velimus aliquot ex quatuor paginis, alios ex octo, conſtaſſe.

Ex ſimilitudine Foliorum arborum Librorum Folia dicebantur, ait Iſidorus (3), cuius partes dicuntur Paginæ, eo quod ſibi invicem compingantur.

A Veteribus Paginæ numerabantur, teſte Plinio (4) hinc prima, & ſecunda cera, ſi Codices erant cerati.

Paginas in columnas etiam Antiqui dividebant, ut ex antiquis MSS., ſe obſervaſſe refert Eruditiſſimus Montfaucon (5).

(*a*) *Officii ſermone* (6) *præfato Bibliopolam veſtrum non*

(1) In Gloſſar. Græc. voce τετρὰς.

(2) In Paleograph. Græc. cap. 4.

(3) Lib. IV. Orig. c. 14. (4) Lib. 4. epiſt. 9.

(5) Paleograph. Græc. Lib. I. cap. IV. & in Diar. Ital. p. II. (6) Lib. 5. epiſt. 15.

Digitized by Google

gentia, Doctrina Critici, a quo fideliter inſpecta, emendata fuerunt (a), & approbata: Si

non gratioſe, ſed iudicialiter expertus inſimuo: cuius ut fidem in pectore, ſic in opere celeritatem circa Dominum te mihi, ſibique communem ſatis abunde probavit. Librum igitur hic ipſe deportat Heptateuchi ſcriptum velocitate ſumma, ſummo nitore, quamquam & a nobis relectum, & retractatum. Defert & volumen Prophetarum, licet me abſente, decurſum, ſua tamen cura, manuque de ſupervacuis sententiis eruderatum, nec semper illo contra legente, qui promiſerat operam suam.

(a) Qui emendandos MSS. Codices ſuſcipiebant ſuum ut plurimum subſcribere nomen conſueverunt; ſic in MSS. Horatii, ait Henricus Valeſius (1) habetur: *Vettius Agerius, Baſilius Mauortius V. C., & Illuſtris ex Comite Domeſticorum ex conſ. ordinario Legi, & ut potui emendavi.* Item in Iulii Cæſaris Commentariis in fine legitur *Iul. Celſus Conſtantinus V. C. emendavi.*

Apponebatur quandoque etiam nomen eius qui contra legebat. (Contra legere dicebatur is, qui Codicem melioris notæ legebat, inſpiciente alio alium Codicem, eumque corrigente). In aliquibus etiam & Coſſ. & tempus, quo id factum ſit, adnotatur: Iacobus Sirmondus (2) ex vetuſto Codice Apulei MSS. Bibliothecæ Vaticanæ hæc refert: *Ego Saluſtius legi, & emendavi Romæ feliciter Olybrio, & Probino Coſſ. in foro Martis Controverſiam declamans Oratori Endelechio: rurſus Conſtantinopoli recognovi Cæſario, & Attico Coſſ.* Sir-

(1) Critic. Lib. 1.

(2) Not. ad Sidon. Apollin. Lib. 4. epiſt. 8.

Digitized by Google

Si enim hæc duo nobis innoteſcant, in tuto res erit; Sin minus dubia erit Manuſcriptorum Auctoritas: Item ſi illis uſos eſſe noverimus viros omni exceptione in doctrina maiores, illis adhærere imprudens non ērit Iudicium.

CANON IV. Si tria vel quatuor MSS. rem aliter habeant, quam plura alia, de quibus conſtat ab eodem non eſſe tranſcripta, *cæteris paribus*, pluribus credendum.

Non eſſe autem eiuſdem Auctoris conſtabit ex diverſa Orthographia, ex diverſa Syllabarum,

Sirmondus idem (1) in antiquo Macrobii Codice hanc vidiſſe ſubſcriptionem ait *Aurelius Memmius Symmachus V. C. emendavi Ravennæ cum Macrobio, Plotino, Eudoxio.*

Idem in antiquo Parmenſi Codice Martiani Cappellæ hæc legi affirmat (2): *Securus Memor Felix V. Sp. Com. Conſiſt. Rhetor R. ex mendoſiſſimis exemplaribus emendabam contra legente Deuterio Scholaſtico Diſcipulo meo Romæ ad Portam Capenam Cos. Paulini V.C. sub D. non. Martiarum Chriſto adiuvante.*

Similia obſervavit Nicolaus Heinſius ex Codice Florentino: *Turcius Rufius Apronianus Aſterius V. C. & inluſtris ex Comite Domeſticorum ex Magiſtro Militiæ, & ex conſ. ordinario Virgilii carmina recenſuit in gratiam Fratris sui Macarii.*

Plura habet ex his Valeſius loco laudato. Vide Voſſium Lib. v. Inſtit. Orat. cap. 3. §. 10.

(1) Lib. 5. epiſt. 15.

(2) In Not. ad Euuod. Lib. 1. epiſt. 19.

Digitized by Google

rum, & verborum contractione, ex diversitate Provinciarum, ubi scripta fuerint, ex diversitate formularum, ex diverso concipiendi modo, aliisque adiunctis.

Nobis proinde non probatur Regula Tillemontii, ut ab aliquibus exponitur, quod scilicet si Tria, vel Quatuor MSS. aliquid habeant, quod plurima alia non habeant pluribus standum; quum a Simonio recte moneamur (1): *In Manuscriptorum negotio cautius non esse semper maiori fidere eorum numero, quia unum dumtaxat facili, & brevi per universam Provinciam exemplorum multorum beneficio propagatum erit: unus Monachus dictabat pluribus, sicque multa eiusdem libri exemplaria omnino similia, nisi forte Orthographia non responderet, habebantur.* Huius generis esse, ait Mabillonius, Manuscripta in eadem Provincia eiusdem Auctoris in Abatiis servata: non levem certe suspicionem de transcriptione inducunt.

Canon V. Si par sit Manuscriptorum Auctoritas, si certa sit eorum diversitas, pro affirmantibus rem eveniisse standum est, non pro omittentibus: In ludiciis quippe maior aientibus habetur fides, quam omittentibus, quum plu-

(1) Dissert. Critic. in MSS. Novi Testamenti.

Digitized by Google

plures poſſint eſſe cauſſæ (*a*), quibus, licet res acciderit, omiſſa tamen ſit.

CANON VI. Alterutri autem parti ſubſcribere in noſtra poteſtate erit, quum decem ex. gr. Manuſcripta rem proferunt, ac totidem antiquitatis eiuſdem, necnon auctoritatis rem negant.

§. III.

Canones Emendandorum Codicum traduntur.

CANON I. NON quavis levi coniectura codicem emendare licet; ſecus enim ſingulis horis, & ad cuiuſque libitum corrigendus eſſet; & mutandus codex, & nullum poſſet eſſe firmum de veritate Scriptorum argumentum, vel ſaltem nonniſi, difficillime eius ſententiam adſequeremur. Hoc vitio laboraſſe Sigiſmundum Gelenium Chevallerius (1), & Eraſmus (*b*) adfirmant: Ipſe enim

(*a*) In noſtra ſexta Diſquiſitione de Argumenti Negativi plures expoſuimus cauſſas, hęc vulgaribus exemplis illuſtravimus, cur res aliquando ſine negligentiæ, vel infidelitatis nota omitti potuit.

(*b*) Eraſmus Epiſtola ad Damianum Goeſium ait: Ge-

(1) De Origin. Typogr. Pariſ. nimis ingenio ſuo indulſiſſe in Plinii editione.

Digitized by Google

enim Plinii, Arnobii, & Ammiani Marcellini ſcripta levibus coniecturis corrigendo mutavit, atque eorum sententiam dubiam fecit.

CANON II. Nihil quod in margine eſt adnotatum in orationis corpore commiſceatur; niſi ex aliis non ſuſpectis MSS. idipſum conſtet, ut modo diximus in adnotationibus adnot. ultima §. 11. de textu D. Ioannis: *Tres sunt, qui teſtimonium, &c.*

CANON III. Nulla emendatio a veterum MSS. lectione nimis ſaltem recedat: quare ſi in priſcis codicibus, vel ex antiquis Interpretibus res aliter legatur ea lectio retinenda erit, ut optime etiam cum aliis Criticis habet Muratori (a).

CANON IV. Emendare licebit, ſi Scriptorem in eodem MSS., ſed alio capite, vel paragrapho ex profeſſo tractans ſibi non conſtet:

Gelenium e MSS. Codice, quem Sciolus aliquis ex ingenio paſſim interpolaverat, novum quodammodo Plinium nobis dediſſe, non veterem emaculaſſe.

(a) *Has ego*, inquit Ludovicus Antonius Muratori (1), *legitimas germanæ Criticæ regulas reor: scilicet in Veterum monumentis primum edendis nihil opus eſſe diſcedere a lectione Codicis: imo rem poſcere; ut quantum fieri poſſit eadem lectio retineatur, excluſis tantum apertiſſimis Librarii mendis.*

(1) Antiq. Med. ævi. Differt. XI.

Digitized by Google

ſtet : potiori iure id fieri poterit, ſi id, quod apponi debet, ab eius ſtylo, & ingenio non ſit diſſonum.

Canon V. Facilior nobis emendandi poteſtas erit, ſi & alia MSS. a noſtra emendatione non diſſentiant, & mendorum cauſſas facile deprehendere poſſimus.

Quos modo ſtatuimus canones, de iis MSS. putamus intelligi oportere, quæ a Sæculo decimo quinto extant (*a*), quæ inedita omnino ſunt, non autem de uno, aut altero, quod poſt antiquas editiones etiam nunc extat : Illud enim idcirco ex tot, tantiſque, quibus bi-

(*a*) Etſi de Typographiæ artis inventione certent Ioannes Mæntel Argentinas, Ioannes Guttemberg, & Ioannes Fuſt Moguntini, & Ioannes Koſter Harlemdi in Hollandia; illud tamen compertum nobis eſt, neque eodem prorſus tempore, neque hos ipſos fuiſſe, qui ut latinos, cæteros tentarint, excoluerintque characteres, ut mox dicemus, quum de cæteris characteribus agemus. Typographicum inventum Tonzel (1) Harlemenſibus tribuit : cui adverſatur Maierus (2), & Salmuth ad Pancirolum (3). Moguntinis Ioanni ſcilicet Guttemberg, Nicolaus Serrarius (4) Pa-

(1) In Colloquiis Menſtruis an. 1693.
(2) In Vero Germaniæ Invento.
(3) Lib. II. tit. 12.
(4) In Tractat. de rebus Mogunt. lib. I. cap. 36.

Digitized by Google

bibliothecæ ornatæ erant, & litterati viri utebantur MSS. ſervatum putamus, quod a communi

Paſchius (1), & Mallingrot (2). Argentoratenſibus Boeclerus (3), & Naudæus (4).

Sunt qui non Germanis, ſed Sinenſibus ingenioſum, atque utile inventum hoc adiudicant: Sinenſes quippe iam ab anno poſt reparatam ſalutem Milleſimo, ut Ioannes Dominicus Muſantius in suis Tabulis Chronologicis ubi Nova Inventa refert (5), Typographiam excoluiſſe narrat: neque hoc a Cl. I.C.Trotz (6), in dubium revocatur; fatetur enim ipſe, Sinenſes pluribus abhinc sæculis artem illam exercuiſſe, ut ex oculatis teſtibus, qui regiones illas peragrarunt, conſtat: longe tamen aliam fuiſſe Sinenſium, ac Germanorum suorum imprimendi rationem, subdit; *Ignorabant illi*, ait, *chartam noſtram*, *Ligno*, *seu integris tabulis literas incidebant*, *quas uni lateri tantum imprimere valebant ad alios libros plane inutiles*, *ſic ut ſingulis libris novas tabulas aptare neceſſe eſſet*. *Denique literis non utuntur*, *sed cyphris*, *& ſignis*, *quorum* 12000 *notitiam habere debet*, *qui Sinenſium scripturam legere amat*. Quapropter falſum eſſe concludit

(1) Invent. Nov. Antiq. cap. 7.

(2) De Invent. Artis Typograph. & diſcurſ. philolog. de Ort. & Progreſſ. Art. Typograph.

(3) Orat. de Typograph. Invent. 1640.

(4) Additions a l'hiſtoire de Lovis.

(5) Nova Inventa ſæcul. x.

(6) In notis ad Hermannum Hugo de pr ſcribendi ori gine cap. 34.

Digitized by Google

muni MSS. Lectione, ex quibus editiones habitæ sunt, recederet: proindeque plus illis qui-

dit quod nonnulli post Vossium (1), & Panciro-lam (2) censent, Mercatores scilicet Germanos a Sinensibus eam didicisse, atque in Germaniam transtulisse. Vide de his Mentel (3), Mattaire (4) Missonium (5), Thranum (6), Saubertum (7), Beughen (8), Meyer (9), La Caille (10), quos in adnotationibus Disquisitionis VII., quæ est de Maurinorum editionibus pag. 175. quas superiori anno dedimus, nominamus. Ioanni Amerbachio tamen cum socio Ioanne Frontono debet Ars typographica politiores, pulchrioresque characteres, ut aiunt, Rotundos, Basileæ 1481. quibus iam nunc universe utuntur in Europa Typographi.

Quidquid sit de Controversiis hisce, quas, ne vacuus Lector noster abiret, hic attigimus, certum est, Latinas Literas non ante dimidium decimi quinti sæculi

(1) Variar. Observ. cap. 14. pag. mihi 81.
(2) Lib. 11. rer. deperd. tit. 12.
(3) In Paræneſi ad Mallinkrot. de vera Typograph. orig. Eiusdem In Brevi excursu de Loco, Tempore, & Auctore invention. Typogr.
(4) In Annal. Typograph.
(5) Iter Ital. pag. mihi 25.
(6) Histor. Gener. Lib. 16.
(7) In Hist. de Norimberg. Biblioth.
(8) Incunab. Univ. Typogr.
(9) Vera Germanorum inventa.
(10) Histoire de l' Imprimerie.

Digitized by Google

quidem raritatis; minus tamen auctoritatis, ineſſe dicendum eſt. Quod innuiſſe videtur

H 2 Cl.

culi floruiſſe: Mentel enim 1442.: Fuſt, & Koſter 1430. ſe eas edidiſſe gloriantur. Romæ primi Suvenheim, & Pananrts Paullo II. Regnante anno 1467. Domi Illuſtriſſimi Marchionis Maſſimi iam tum ex Nobilioribus Romanis Familiis, Opus de Civitate Dei S. Auguſtini dedere: Ruſſinger 1471. Neapoli &c. de quibus Vide Cornelium a Beughen (1), qui primos cuiuſcumque Nationis libros enunciat.

Quo vero tempore græcarum literarum Typographia in uſu eſſe cæperit refert eruditiſſimus Maittaire, qui *Moguntiæ*, ait (2); *Ars prima inventa fuit, & tentata, sed latinas solum excoluit literas; nec dum enim græcas sciebant perfecte Typographi, quas licet Auctoribus quibuſdam latinis immiſcere tentaverint infeliciter Moguntini, felicius, & meliori succeſſu Romani, & Veneti. Codex tamen totus græco sermone non eſt impreſſus, donec tam arduum Typographiæ opificium numeris omnibus abſolutum ad umbilicum perduceret Mediolani anno MCCCCLXXVI. Dionyſius Paraviſinus.*

Quæ ſi vera ſunt, errat ſane Burcardus Gotelphus Struvius, qui Aldum Manutium commendans ait: *Primus* (3) *hic habetur, qui græcos libros excudit, non autem fuit, qui characteres græcos invenit: ante Manutium enim græcis quidem characteribus iamdudum fuere uſi ad explendas vero lacunas, saltem ubi in Latinis Codicibus una, vel altera græci sermonis incurreret.* Errat

(1) Typograph. Univerſ. Incunabula.
(2) Annal. Typograph. pag. 146.
(3) Tract. de Orig. Typograph. cap. x. §. xvi.

Digitized by Google

Cl. Muratori in ſuo ſupra expoſito Canone, dum ait: Non recedendum a MSS. in Veterum monumentis *Primum* edendis.

His accedit, quod ea ætate, qua Typographiæ

rat inquam, nam etſi ab Aldo maxima venuſtas græcis acceſſerit; attamen quum Aldus ipſe in Præfatione ad opus Stephani *de Vrbibus* ab ipſo editum MIↃII. referat ſe græcos libros edere cœpiſſe anno MCCCCXCIV., primumque Codicem fuiſſe Ariſtotelis opera, cuius Logicam nonniſi Novembri ſequentis anni abſoluit, conſtat ante ipſius editionem aliam extitiſſe, eamque laudem illos præripuiſſe, qui anno MCCCCLXXVI. Mediolani græcam Grammaticam, & Papiæ Vocabularium edidere.

Genuæ, & Romæ initium debet Arabica Typographia, curante illic Petro Paullo Porro Mediolanenſi: Hic iubente Sixto V., qui pro Vaticana Bibliotheca Arabes induxit characteres.

Hebraicorum Codicum Typographiam Italiæ quoque acceptam referunt Litterati Viri, vel enim id contigit in Soncinni Oppido Mediolanenſis ditionis, ut habet Maittairre (1), atque ex pluribus Codicibus apparet, in quorum fronte legitur: *Apud Soncinnum in Lombardia ſub Mediolanenſium Ducum ditione*; ſive Veronæ, ut vult Eruditiſſimus Marchio Maffei in ſua *Verona illuſtrata* (2); ſive Bononiæ ut putat Cornelius a Baughen (3), ubi editio habetur hebraica Libri inſcripti *Lex Populorum* MCCCCLXXI.

(1) P. III. cap. 3. (2) Part. III. col. 273.
(3) Pag. 73.

Digitized by Google

phiæ ars inventa fuit, ſumma fuit in edendis voluminibus Typographorum diligentia, ſummum Correctorum ſtudium in his examinandis, conferendiſque. Quæ enim fuerit diligentia, nec non ſolertiſſima mendorum expurgandorum peritia Ioannis Amerbachii, Iodoci Badii, Roberti, Henrici, & Caroli Stephani, Ludovici Miræi, Ioannis Coſſeri, Michaelis Vaſcoſani, Ioannis Frobenii, Bernardini Stagnini, Sixti Ruſſinger, Moreliorum, Iuntarum, Grifii, Torres, Rafelengi, Manutiorum, Plantini, Vechel, aliorumque, nullus eſt, qui ignoret, & nos ſatis abunde diximus Diſſertatione noſtra VII. (*a*) Summam vero doctrinam fuiſſe in iis, qui conferendis, emendandiſque Codicibus præerant, refert in ſua *Correctorum Centuria* eruditiſſimus Conradus Zeltnerus: quapropter ambigendum non eſt doctos illos, ſummoſque Viros iuxta ſeveriores Artis Criticæ Canones, omiſſa ſingulari unius, vel alterius MSS. lectione, illam in Veterum operibus edendis retinuiſſe, in quam & plura, & minus dubia confluebant MSS., ex quibus evidens mihi eſt pluris faciendam eſſe anti-

(*a*) Ibi enim pag. 174. & 175. in Adnotat. (a) de his egimus: atque Auctores plures innuimus, qui pro dignitate hoc de argumento egerunt.

Digitized by Google

quam Amerbachii, Frobenii, Iuntarum &c. Correctore Eraſmo, Sirmondo, Frontone Ducæo editionem, quam unum, vel alterum MSS. ab edita lectione diſſentiens.

CAPUT VI.

De Suppoſititiis, & Interpolatis Libris, Nec non de Regulis unde Eruditi eos noſcant.

§. I.

Dari Suppoſititios, & Interpolatos Codices Scriptorum teſtimoniis comprobatur.

PLures eſſe Suppoſititios, atque Interpolatos libros communis eſt Eruditorum querela, & maxime Criticorum, ut facile apud Illuſtriſſimum Melchiorem Canum (1), Eminentiſſimum Robertum Bellarminum (2), alioſque deprehendi poteſt.

Sic Gregorius Pontifex cognomento Magnus vehementer queritur Andream quemdam græcum Monachum ſermones quoſdam exaraſſe, atque ſuo nomine inſcripſiſſe: *Inter diverſa mala*, ait (3), *aliquos etiam Sermones*

(1) In Loc. Theolog. per totum.
(2) De Script. Eccleſiaſt.
(3) Epiſt. 69. ad Euſebium Theſſal. Epiſc.

Digitized by Google

nes scripsit, atque eos ex nostro nomine titulavit.

Eadem est Origenis querimonia (1) *Quidam Auctor hæreseos*, ait, *quum sub præsentia multorum habita inter nos fuisset disputatio, descriptum accipiens ab his, qui descripserant codicem, quæ voluit addidit, & quæ voluit abstulit, & quod ei visum est permutavit: Quum convenissem illum ipsum qui adulteraverat librum, quare hoc fecisses? Velut satisfaciens mihi respondit, quoniam magis ornare volui disputationem ipsam, atque purgare. Videte quali purgatione disputationem nostram purgavit! Tali nempe, quali purgatione Marcion purgavit Evangelia, vel Apostolum, vel quali successor eius post ipsum Apelles: Nam sicut illi subverterunt Scripturarum veritatem, sic & iste, sublatis, quæ vere dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit, quæ falsa sunt.*

Heterodoxos sæpe id feciſſe & sæpius ut suas tuerentur hæreſes, Antiqui Patres, & Scriptores teſtantur (*a*): Sic de Marcionitis loquens Tertullianus (2): *Adulterinorum*, ait, *falsique tituli librorum multitudinem conscripserunt*,

(*a*) Qui plura de his velit adeat Clericum (3), & Ioannem Vowerium (4).

(1) Epiſt. ad Alexandr.
(2) Lib. 1. Hær. fabul. cap. 19.
(3) Tom. 2. par. 3. ſect. 2.
(4) Polymath. cap. 18.

Digitized by Google

ut ſtultos terrerent. Monothelitæ corruptos Vigilii Libros, ſuos habentes errores de Una in Chriſto Voluntate in Bibliotheca Patriarchatus Conſtantinopolitani furtim invexere. Idipſum Ionas Aurelianenſis (1) obiicit Claudio Taurinenſi: *De Ariana* (hæreſi) *fertur, quædam monumenta librorum congeſſiſſe, & ad ſimplicitatem, & puritatem Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ oppugnandam in Armario Epiſcopi ſui clandeſtina calliditate reliquiſſe*.

Epiſtolas, ait etiam Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum (2), *ſcripſi rogatus a Fratribus, ſed illas miniſtri Diaboli zizaniis impleverunt, quædam ex illis expungentes, quædam adiicientes, quod certe manet illa ſententia: Væ vobis: non mirum igitur videri debet, ſi Domini ſcripta quidam adulterare aggreſſi ſunt, quandoquidem adulterarunt, quæ talia non ſunt*.

Lucri cauſſa a librariis nonnullis id factitatum narrat Sixtus Senenſis (3): *Nihil*, ait, *præter quæſtum arte ſua quærentes, novos quotidie Librorum fœtus emittunt Adulterinos, Suppoſititios, Pſeudepigraphos, & Nothos, præpoſitis abſque ullo iudicio, & pudore in Frontiſpiciis operum, quo ipſa*

(1) In Præfat. Lib. de Cultu Imag.
(2) Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. 4. cap. 23.
(3) Præfat. ad Biblioth.

Digitized by Google

ipsa & carius, & citius vendant falsis Auctorum Illustrium inscriptionibus. Hoc sane artificio supposuerunt nobis inter multos spurios partus Quæstiones in Genesim Philonis Iudæi: Quæstiones Iustini Philosophi, & Martyris ad gentes: Quæstiones D. Athanasii ad Anthiocum: Origenis Paraphrasim in Iob, eiusdemque in eumdem Commentarios: Item Arnobii Rethoris in Psalmos Commentaria: Eusebii Emeseni Homelias in Evangelio: Ambrosii in Apocalypsim explanationes: Hieronymi in Proverbia Libros tres: Eucherii in Geneseos, & Regum historias libros octo, & cum his alia plurima.

Idem ætate Attalicorum Regum accidisse refert Galænus (1) *Temporibus Attalicorum Regum*, ait, *qui de acquisitione librorum inter se contendebant, cæpit fraus circa* inscriptiones, & dispositiones Librorum fieri ab iis, qui pecuniæ caussa ferebant ad Reges *Virorum Illustrium scripta*. Quod firmat Ammonius (2): *Aiunt*, inquit ipse, *Ptolomæum Philadelphum magno studio flagrasse habendi scripta Aristotelis, ut & cætera, & pecunias dedisse affereutibus ad se libros Philosophi: unde quidam diteſcere cupientes, inscriptos libros Philosophi nomine attulerunt.*

Ut autem Genuini a suppositiis Auctorum fæ-

(1) Præfat. Comment. 2.
(2) In Categor. Aristot.

Digitized by Google

fætibus, ut integri ab interpolatis libris noscantur, Canones aliquot, quasi facem in tam obscuro itinere præferemus.

§. II.

Canones exponuntur, quibus colligere licet Auctorum Libros Genuinos esse, aut Supposititios, Integros, aut Interpolatos.

HOrum librorum Catalogum inscribere meum hic non est: egregie id præstitere Cl. Cocus, Rivetus, Caveus, aliique: generalibus ego regulis rem expediam.

CANON I. Genuinus erit liber, qui ab ætate Auctoris ad hæc usque tempora successione continua, ac diligenti pervenit.

Hoc utens canone Augustinus (1) contra Faustum genuinos esse ostendit, qui suo tempore circumferebantur Hippocratis libros, ex quorum veritate, eodemque argumento, Faustum cogit ad admittendas, ut genuinas Paulli epistolas: *Hos autem libros*, ait, *quibus illi, qui de transverso proferuntur comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore, ad hoc tem-*

(1) Lib. 33. cap. 6.

Digitized by Google

tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit : Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiuſmodi Auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adiuvandi ſtudio, ſive dicandi, unde conſtat, quid cuius ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit, atque edidit, & inde in alios continuata notitia, latiuſque firmata ad poſteros etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt?

CANON II. Si qua a Veteribus olim prolata ſunt ex libro quodam, quæ nunc deſiderantur, mutilus ſit oportet : ſi aliter legantur, ſuſpectus ; genuinus vero, ſi nihil deerit. Ratio eſt, quia Veteres, qui ætati Scriptoris Synchroni (*a*) erant, vel quaſi Synchroni opti-

(*a*) Sapientiores Critici Synchronos Scriptores appellant non eos tantum, qui id temporis vivebant, ſed latius aliquando eos quoque Synchronos dicunt, qui a teſtibus oculatis, & fide dignis res hauſerunt. Tillemontius (1) ad ducentos, vel trecentos annos : Mabillonius (2) ad unius, vel duorum ſæculorum inter-

(1) Epiſt. ad Lamy.
(2) De ſtudiis Monaſt. p. 2. c. 8. tom. 2. p. 1.

Digitized by Google

optimos adhibuiſſe, & genuinos libros, tenendum eſt. Quare hoc argumento cenſent nonnulli, PP. in Collatione Conſtantinopolitana anno Domini 532. cum Severianis, & Acephalis habita, Codices, qui nomine Dionyſii Areopagitæ proferebantur, falso Dionyſio tributos (*a*) probaſſe: *Illa teſtimonia*, inquiebant, *quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim eius erant, non potuiſſent latere B. Cirillum. Quid autem de B. Cirillo dicimus, quando & B. Athanaſius, ſi pro certo ſciviſſet eius eſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de Subſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemiam? Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſciamus:*

Ex quo putant etiam aliqui mutilum eſſe opuſculum octavum in explicatione Salutationis Angelicæ, & Lect. 6. Comment. ſuper epiſt.

tervalium, ad ducentos quoque circiter annos Launoius, eodem ferme pacto alii Synchroniſmum extendunt: at meo quidem iudicio nimis indulgenter, niſi dixeris, vita eos pluſquam ſæculari donatos.

(*a*) Vide de his Diſquiſitionem noſtram X. de Operibus S. Dionyſii Areopagitæ pag. 234., ubi quid, & quanti Argumentum hoc valeat, pluribus indicavimus.

Digitized by Google

epiſt. D. Pauli S. Thomæ Aquinatis, quippe ſententiæ aliquæ, quæ in editione Pariſienſi 1529., 1532., & Veneta 1555., & 1590. legebantur, in Antuerpienſi 1612., aliiſque deinceps deſiderantur.

CANON III. Quæ diſerte ſunt reiecta, aut in dubium revocata a Veteribus, ea propter unam Recentiorum auctoritatem, nullo adhibito ſolidiſſimo argumento, admitti non poſſunt.

Hoc abuſus canone ſimplices, i naroſque fallere meditatur Ioannes Clericus (1) impudenter Eccleſiam Catholicam carpens, quod libros aliquos, (qui ſibi, ſuiſque Acatholicis maximum faceſſunt negotium) ut Canonicos admiſerit, qui apud Veteres dubiæ auctoritatis eſſent.

Verum nihil eſt hac in re, quod Critices legibus adverſetur, niſi Adverſarii iniuſta criminatio, atque importuna irriſio: Catholici enim in catalogo ſacrorum librorum ſecernunt eos, de quorum divina auctoritate numquam in Eccleſia Catholica dubitatum fuit, eoſque appellant *Protocanonicos*, ab iis, quorum Divina Auctoritas ab aliquibus Catholicis in dubium revocata fuit, quos ſimplici vocabulo *Cano-*

(1) Art. Crit. par. 3. ſect. 2. cap. 3. Aphoriſ. 4.

Digitized by Google

Canonicos nominant. Addunt deinde traditionem de divina auctoritate librorum canonicorum potuisse aliquando aliquos latere: eamdem autem collatis traditionibus singularum Ecclesiarum in Conciliis Oecumenicis per Episcopos, quorum unusquisque traditionis suæ peculiaris Ecclesiæ legitimus testis est, potuisse apparere, ac detegi, idque evenisse in casu. Isthuc ipsum autem sine adversarium querela evenisse constat cantico *Te Deum laudamus*, quod Augustino, & Ambrosio tributum est, iisdemque posterioribus Sæculis abiudicatum propter unanimem pene eruditorum consensum, qui illud Sisebuto Monacho tribuunt ex Veteri Cassinensis Cœnobii Breviario, nec non Codice MSS. Vaticanæ Bibliothecæ ab Eminentissimo Bona recensito, & ex quo huius Cantici, ut refert Cl. Ioseph Biner (1) ante Regulas S. Benedicti, & Cæsarii nusquam mentio fiat.

Canon IV. Ut suspecti habendi sunt Codices, quorum nec Veterum ullus, nec, si qui sunt antiqui Indices, meminerunt: hinc Libri inscripti *Hipognosticon* iniuria a quibusdam Augustino tribuuntur: etenim neque a Be-

(1) In Apparatu Eruditionis part. xi. cap. iv. Sæc. iv. pag. 63.

Digitized by Google

Beda, neque ab ullo Veterum, neque in Indiculo Poſſidii (a) citantur ſub nomine Auguſtini: & Eminentiſſimus Baronius (1) Sermonem de Sanctiſſima Deipara Athanaſio abiudicat, ex quo, ſi Athanaſii eſſet, a Sancto Cyrillo, & Patribus Tertiæ, Quartæ, & Sextæ Synodi ſententiæ in medium prolatæ eſſent, quum hic nimis accurate diſputetur de Unione Divinæ, & Humanæ Naturæ, quumque aliunde citentur Libri de Incarnatione, ubi non tam aperte loquitur Athanaſius.

CANON V. Si in Libro factum aliquod legatur, vel de Perſona quapiam ſermo ſit, quæ Auctorem, cui Codex tribuitur, ætate præceſſerit, inter ſuppoſititios, vel ſaltem Interpolatos eſt recenſendus. Qui enim ſcire potuit is, qui ſæculo ante ſcripſerat, quod futurum erat centum, exempli cauſſa, poſt annos? Quamobrem omni iure docent Critici Librum de Antichriſto falſo tribui Auguſtino: quippe in ipſo fit mentio de translatione Imperii a Græcis ad Francos, quod quadringentis annis ab Auguſtini obitu, accidit.

CA-

(a) Poſſidius exacte, diligenterque omnes Auguſtini Libros in Indiculum redegit.

(1) Annal. Eccleſ. Anno Chriſti 48.

Digitized by Google

CANON VI. Si in alicuius Patris libris ſententiæ reperiantur Concilii habiti poſt ipſius obitum, non ideo pro ſuppoſititiis huiuſmodi Libri habendi sunt. Conciliorum quippe mos eſt, Patrum sententias examinare, & quandoque iiſdem retentis verbis, rem definire: Sic Arauſicanum II. a Bonifacio II. approbatum vigintiquinque, quos condidit Canones, omnes fere ex Auguſtini Libris excerpſit. Quod a Tridentino etiam factum novimus (*a*).

CANON VII. Librum non eſſe eius, cui adſcribitur, non leve indicium eſt ſtyli diverſitas: Illi contra tribuendus eſt, a cuius ſtylo non diſcrepat: Hinc sermonem nonageſimum ſecundum de Baptiſmo Auguſtini tributum S. Ambroſio, Ambroſii non eſſe autumant Eruditi. Hac potiſſimum regula Libros agnoviſſe Veteres teſtatur Aulus Gellius (1) *Verum eſſe comperio*, ait, *quod quoſdam*

(*a*) Tridentinum ſeſſ. v. cap. 11. docet: *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

Auguſtinus Lib. de Natur., & Grat. cap. 43. idem, iiſdemque verbis dixerat: *Non igitur Deus Impoſſibilia iubet, ſed iubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

(1) Noct. Actic. Lib. 3. cap. 3.

Digitized by Google

dam bene litteratos homines dicere audivi, qui pleraſque Plauti comœdias curioſe, atque contente lectitaverant, non indicibus Ælii, nec Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii ſuper hiſce fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, ſed ipſi Plauto, moribuſque ingenii, atque linguæ eius. Hac enim iudicii norma Varronem quoque eſſe uſum videmus: nam propter illas unam & viginti, quæ Varroniane vocantur, quas idcirco a cæteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium Plauti eſſe cenſebantur, quaſdam item alias probavit adductus ſtylo, atque facetia ſermonis Plauto congruentis, eaſque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit.

Sic ex ſtylo negat Gerardus Voſſius (1) Daretem Phrygium a Cornelio Nepote translatum: quippe præterquamquod Daretem illum ut Genuinum non agnoſcit, dictionem eius Auguſteam non ſapere ætatem ait. Ex eodem ſtyli argumento Excellentium Imperatorum Vitas, quas nonnulli Æmilio Probo tribuunt, qui ætate Theodoſii floruit, Probo denegat Voſſius idem: *Nec Æmilium*, inquiens, nec Theodoſiani ævi quemquam horum eſſe

(1) Hiſt. Lat. Lib. 1. cap. 14.

Digitized by Google

Librorum Auctorem abunde arguit Pura, & Romana dictio.

Sic Hieronymus etiam ex ſtylo opus Ruffini detexit (1) *Præfatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν*, ait, *ad me miſſa eſt, quam ex ſtylo intellexi tuam eſſe, in qua oblique, imo aperte, ego petor.*

Verum quum difficile ſit ſtyli diverſitatem agnoſcere, hinc non ſatis firmum erit argumentum a ſtyli diverſitate rem iudicare. Age iam: de iiſdem Homiliis S. Chryſoſtomi ex ſtylo alii earum aliquas ipſi tribuunt, alii abiudicant. Eraſmus (2) *Ex Chryſoſtomo*, ait, *in acta verteram Homilias tres, cuius operæ me pœnituit; quum nihil hic viderem Chryſoſtomi; tuo tamen hortatu recepi Codicem in manum, ſed nihil unquam legi indoctius: Ebrius, ac ſtertens ſcriberem meliora.* Iacobus vero Billius græcæ dictionis, & latinæ apprime doctus, *Græco*, inquit, *Codice* (3) *nihil fingi poteſt elegantius, nihil quod Chryſoſtomi phraſin melius referat.* Sic ſentit etiam Caſſiodorius (4). Quod Ioſephus Hebræus de Chriſto narrat, a ſtyli difformitate cum aliis Ioſephi eiuſdem operibus doctiſſimi Viri Blondellus, Oſiander, Giffa-

(1) Epiſt. 66. ad Ruffinum.
(2) Epiſt. ad Tonſtallum.
(3) Ibid. (4) Inſtitut. cap. 9.

Digitized by Google

Giffanius, aliique Ioſephi eſſe partum mordicus negant. Ex ſtyli conſonantia e contra Caſaubonus, Huſſerius, Valeſius nec pauciores alii genuinum eius fœtum eſſe tuentur (*a*).

Quapropter ſedulo advertendum primo, ut comparatio Codicis dubii cum certo inſtituatur inter Librum, & Librum in eadem lingua eiuſdem Auctoris: Si enim Auctor plures linguas calluerit, & in ſingulis aliquid ſcriptionum genus reliquerit, ſtyli varietas, quæ inter linguam, & linguam deprehendatur, indicium eſſe non poteſt, quo Auctorum varietas dignoſcatur: poteſt enim qui multiplici pollet lingua, in alia magis, in alia minus eſſe verſatus: unuſquiſque autem in patrio ſermone ſolet eſſe felicior.

Hinc errant Magdeburgenſes, Eraſmus, & qui cum eo ſentiunt, putantes Epiſtolam ad Hebræos non eſſe Paulli Apoſtoli, ex quo hæc ſit cæteris elegantior, errant, inquam, quia hæc ad Hebræos hebraica lingua, ut communiſſima Doctorum fert opinio, quæ nativa

(*a*) Plura de Argumento a Styli diverſitate protulimus Diſquiſitione noſtra Quinta, quæ eſt *De Critices Utilitate, ac Præſtantia* pag. 137., in qua etiam huius rei exempla adduximus.

Digitized by Google

tiva erat S. Paulli, conſcripta fuit: cæteræ vero linguis alienis exaratæ fuerunt: quod & Gloſſa (1) adnotavit.

Advertendum ſecundo, ut comparatio inſtituatur inter elucubrationes eiusdem generis, ac ſpeciei, ut carmina carminibus: ſoluta Oratio ſolutæ Orationi: heroica heroicis: Epiſtolares epiſtolaribus comparentur. Etenim longe aliter ſe Tullius habuit quum Epiſtolas ſcriptitaret, ac quum declamaret in Foro: Item aliter quum orationem haberet in Senatu, aliter quum pertractaret res philoſophicas. Quam scribendi varietatem diverſam eſſe debere innuit ſapienter Auguſtinus (2) inquiens: *Quum Doctor debeat rerum dictor eſſe magnarum, non ſemper eas debet granditer dicere, ſed ſubmiſſe, quum aliquid docetur: temperate, quum aliquid vituperatur, ſive laudatur: quum vero aliquid agendum eſt, & ad eos loquitur, qui hæc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea, quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer, & ad flectendos animos congruenter, & aliquando de una, eademque re magna & ſubmiſſe dicitur, ſi docetur, & temperate ſi prædi-*

(1) Ad Hebræos.
(2) De Doctr. Chriſt. Lib. IV. cap. 19.

Digitized by Google

dicatur , & graditer , ſi averſus inde animus ut convertatur , impellitur :

Advertendum tertio , ut Comparatio habeatur inter opus abſolutum , & aliud opus abſolutum eiuſdem Auctoris : contra quam legem peccavit Harduinus, quando totam Æneidem Virgilii eſſe negavit , ipſam conferendo cum Eclogis , & Georgicis : Coſtat enim Virgilium morte præventum ultimam manum Æneidi non impoſuiſſe , ſed emendaturus , ſi licuiſſet , erat .

Habenda quoque ratio eſt de notabili ætatis diſcrimine , ne quæ adoleſcens quis ſcripſerit cum iis , quæ Senex edidit , conferantur ; liquet id in Tullio ipſo , in Oratione pro Sexto Roſcio Amerino , & in cæteris , quas maturæ iam ætatis dedit Orationes , ut pro domo ſua ex. gr. vel pro lege Agraria .

Omittendæ tandem non sunt circumſtantiæ nonnullæ , quæ ad ſtyli eiuſdem Auctoris varietatem , ipſo Auctore inſcio , faciunt : Non eodem ſane modo mentis excogitatæ exprimit qui sanus eſt , ac qui æger : qui hilari eſt animo , ac qui mœrore oppreſſus : qui otioſus , ac qui pluribus , gravibuſque negotiis eſt diſtentus .

CANON VIII. Vocabula sequioris ævi Scri-

Digitized by Google

ptorem Recentiorem fuiſſe indicant, niſi hæc aliena manu addita claritatis gratia conſtaret: Ex hoc Canone probat Galœnus (1) aliqua falſo Hippocrati tributa eſſe: *Iuniorem eum fuiſſe*, ait, *qui hæc addidit certo oſtendit appellatio συνοχὰ (pro febri continua), neque enim umquam Hippocrates, vel ex antiquis alius febrim continuam vocavit συνοχον, ſed hæc sunt nomina Recentiorum Medicorum, qui antiquam linguam ignorarunt.*

CAPUT VIII.

De MSS. in Re præſertim Diplomatica.

NON hic Diplomatum nomine facultates veniunt tabellis inſcriptæ, quibus Tabellariis conceſſum erat equis publicis uti, ut quam citiſſime Imperatorum primo, dein reliquorum Magiſtratuum Litteræ ad Provincias pervenirent, ut apud Tullium (2) Capitolinum (3) Plutarchum (4) alioſque vox iſthæc uſurpari conſuevit; sed Diplomata de quibus hic agemus, *Litteræ sunt*, ut optime

(1) In Comment. 2.
(2) Lib. 10. ad Atticum.
(3) In Pertinace. (4) In Galba.

Digitized by Google

me Latius (1) & Buddæus (2) *quas Patentes nunc appellamus, cuiusmodi sunt Edicta & Mandata Principum regio signo sancta, & quas Bullas Pontificias vocant.*

Diplomata ab ἀπὸ τοῦ διπλοῦ dictum, quasi duplum, unde Duploma scribi deberet: quippe ut diutius servari posset duplici conglutinata charta scribi consueviſſe Eruditi censent.

De Re Diplomatica *Multi varia sparsim regulas*, ait Cl. Ioannes Mabillonius (3), *ubi de singulari argumento agebatur, tradiderunt; at nullus ad hoc usque tempus peculiari Tractatione rem aggressus fuerat ante Danielem Papebrochium Societatis Iesu, editis Sanctorum Actis Cl. Virum, qui in Propilæo ad Aprilis Tomum secundum, data opera, eam discutiendam suscepit Anno MDCLXXV.*

Mabillonius dein omnia, quæ hac super re dici poterant, eximio, nt supra diximus, complexus est opere, ipso plaudente Papebrochio, cuius regulas in suo opere Mabillonius improbaverat (a).

(1) De Republica Romana.
(2) Adnotat. poster. in Pandectas.
(3) De Re Diplomat. Lib. I. cap. I.
(a) Mabillonius Papebrochii canones refellit. Hos vin-

Digitized by Google

A Daniele Papebrochio, & Ioanne Mabillonio non tot quin Plures facultatem hanc illuſtrarunt, quos inter Eruditiſſimus Marchio Maffei opere inſcripto : *Iſtoria Diplomatica per ſervir d' Introduzione all' Arte Critica*. Quod ſane opus ut ſupplementum potius habent in hac Arte Eruditi ad ea, quæ Mabillonius ſcripſerat: Id quippe profert, & diſcutit in ſuo opere Maffeius, quod ante ſæculum VIII. etiam obtigit.

Suos quoque Canones ſtatuit in nonnullis Diſſertationibus hac ſuper re editis Cl. Ludovicus Antonius Muratori (1).

Illuſtriſſimus Fontanini Archiepiſcopus Ancyranus, nec non Dominus Lazarini facultatem hanc non ſine Criticorum plauſu tractarunt.

Paleographiam Hiſpanam editam Matriti 1758. dedit P. Stephanus Terſeros y Banda S. I. (*a*). Il-

vindicavit Bartholomæus Germon (2). In Mabillonium rurſus ſcripſit Georgius Hickeſius (3), in quem ſuum acuit calamum doctiſſimus Maurinæ Congregationis Theodoricus Ruinart. Vide, quæ dicimus de Auctoribus, qui de hoc argumento egerunt.

(1) Antiq. med. Ævi Diſſert.
(2) Diſcept. de Re Diplomat. ad Mabillon.
(3) De Ling. Vet. Theſauro.
(*a*) Paleographia Eſpanõla . . . . . a fin de facilitar el Re-

Digitized by Google

De Imperatorum, atque Alemannorum Regum Diplomatibus affabre ſcripſit Dominus Heuman.

De Diplomatica item Alemanniæ ſapientiſſimos canones edidere Cl. Viri Echard, & Barring, nec non Godwiek in ſuo Chronico.

Universe de ipſa ſcripſere Heinecius, Hoepingk, Leiſer, Strick, Waldſchmit, Thulemar, Boehmerus, Strwe, Manni, Ficoroni, aliique, quorum nomina collecta reperies apud eruditos Lwdevig, Barring, Heuman.

Diſputationes vero Diplomaticas in ordinem redegit Gaſpar Beretti, qui animo nulli partium ſtudio addicto, quæ hinc, atque hinc diſputata sunt, ſincere retulit.

In dubium Facultatem hanc ſuo Programmate revocavit Hoffman, cuius argumenta profert erudita diſſertatione P. Grebner.

Tandem anno 1750. rem totam non erudite minus, quam ſagaci, maturoque iudicio complexi ſunt ſex Voluminibus duo præſtantiſſimi Viri ex S. Mauri Benedictinorum familia opere inſcripto: *Nouveau Traité de Diplomatique, ou l'on établit des Regles ſur le di-*

el Regiſtro de los Archivos, y lectura de los Manuſcritos.

Digitized by Google

diſcernement des Titres, & l'on expoſe hiſtoriquement les Caractères des Bulles, Pontificales, & des Diplomes donnés en chaque Siecle &c. Par deux Religieux Benedictines de la Congregation de S. Maur. A Paris MDCCL..

§. I.

De Multiplici Diplomatum Genere, ac Fide.

DIplomatum plura ſunt Genera: Regalia, quæ a Supremis Principibus dabantur, quæque diſtinguebantur in Præcepta, quibus aliquid poſſidendum, vel faciendum in futurum conſtituebatur.

In Indiculos, quibus indicabatur aliquid de præſenti poſſeſſum, donatum, &c.

In Placita, quæ Litteræ erant, quibus de aliqua Controverſia in frequenti Procerum conventu iudicium ferebatur.

In Tractoria, quibus Princeps Hoſpitii ius, Rhedas, Equos concedebat (*a*).

In

(*a*) De Tractoriis Epiſtolis multa tum ex sacris, tum ex prophanis Scriptoribus congerunt teſtimonia Barnabas Briſſonius de Verbor. ſignif. Verb. Tractoriæ, & Iacobus Cuiacius lib. 12. Cod. tit. 51. de Tractoriis.

Digitized by Googl

In Deſcriptiones, ubi deſignabantur Ædes, Prædia, Libri, &c.

In Panchartas, ſeu Pantochartas, quibus confirmabat Princeps Iura, & Bona alicuius Cœnobii, tum maxime, quum Inſtrumenta ætate depravata eſſent, vel amiſſa.

Præter hæc erant Diplomata quædam, quæ dicebantur *VIDIMUS*: etenim ſi lacera nimis eſſent Diplomata, quæ ex Rubrica (*a*) nullius roboris erant loco, ipſorum eamdem vim habebant Scripturæ ex antiquis tabulis iuſſu Principis, vel Magiſtratus ab ipſo Principe conſtituti adamuſſim deſcriptæ, quas veteres tabulas Princeps, vel Magiſtratus ſe viſſe teſtabatur.

Extant item Pagenſia, quæ a privatis Hominibus, ſed Illuſtribus, edebantur, quæque civium privata negotia exprimebant, ut Inſtrumenta, Chirographa, &c. (*b*).

Eccleſiaſtica triplicis generis ſunt, Bullæ

(*a*) Inſtrumentum publica manu non confectum, habens ſigillum, cuius literæ non ſunt legibiles, vel ſcripturæ deletæ, vel enormem patiuntur fracturam, non probat.

(*b*) Utriuſque generis Regalium videlicet, & Pagenſium diverſas formulas duobus Libris complexus eſt Marculfus Monachus.

Digitized by Google

læ (*a*) Precariæ, & Præſtariæ, Privatarum ſcilicet Eccleſiarum (*b*) Scripturæ (*c*).

Epi-

(*a*) A Bullis ſuſpenſis ſic dictæ, de quibus infra.

(*b*) Has deſcribens Iacobus Sirmondus Soc. Iesu hæc habet: „ Qui rem Eccleſiæ ad uſumfructum ſub annuo cenſu impetrabant, iis per Precariam, & Præſtariam dari ſolebat. Præſtariam dabat Eccleſiæ Rector, qui rem præſtitam concedebat, & quibus legibus eam concederet, exponebat: Precariam Petitor, qui rem precario, id eſt, in beneficium accipiebat, qua cenſum, & alias conditiones impoſitas expleturum ſe profitebatur. „

(*c*) Generis huiuſce quamplurimæ extant in Tablinis Eccleſiarum Cathedralis ſcilicet S. Andreæ, atque Inſignis Collegiatæ S. Eraſmi Civitatis Verularum Antiquiſſimæ Membranæ, in quibus etſi de privatis dictarum Venerabilium Eccleſiarum negotiis agatur; Diplomaticam tamen Facultatem non illuſtrare modo poſſent, ſed erudita quoque Litterariæ Reipublicæ exhibere monumenta. Hæc, atque alia, quæ ex Pontificum Diplomatibus, quorum ibidem non pauca aſſervantur, deinceps proferemus, mihi humaniſſime communicavit Vir mihi amiciſſimus, idemque Clariſſimus, qui quadraginta ſupra trencentas pergamenas charactere tranſcripſit noſtrate Franciſcus Carolus Mellonii, quem honoris cauſſa nomino, in quo præter generis nobilitatem (eſt enim Mellonia Gens ex Herminio in antiquiſſima Verulana Civitate ſpectatiſſima) ampla doctrinæ omnigenæ ſuppellex cum humanitate prope incredibili, ac plane ſingulari belliſſime certat. Scit ille quidem latine, græce

Epiſcopales, quæ ab Epiſcopis ſignabantur.

Pontificiæ, quæ & *Formatæ* dicebantur a ſigilli forma ita dictæ, quo, teſte Sirmondo, Epiſtolæ huiuſmodi muniebantur (1) & *Canonicæ*, & *Eccleſiaſticæ* per quas Uni-

græce, italice: non aſperſus leviter hiſce litteris, ſed alte imbutus amœnioribus diſciplinis iuxta, & ſeverioribus inſtructus apprime: In iure autem præcellens adeo, ut in adoleſcentis filii Herminii, qui Parentem Optimum, ut initia ſe dant, feliciter aſſequetur, in Adoleſcentis, inquam, Filii gratiam Iuris Inſtitutiones nova methodo, polita imprimis, atque erudita ex aſſe elucubravit, quæ, ſi, ut ſperamus, publica luce donentur, ſtudioſæ Iuventuti, atque adeo Litterariæ Reipublicæ utiles valde fore confidimus. Humanitas porro tanta eſt, ut eum Civium, Advenarum, Convenarumque commodo natum facile agnoſcas. Nullum fere neque in Patria, neque in finitimis regionibus, neque Privatum, neque Plublicum, ſine eius oraculo, negotium tranſigitur: Præſto eſt omnibus alacer Summis, Imis, Suis, Exteris: quumque laboris plurimum aliorum in gratiam ſubeat, exantletque illud, ſibi vindicare merito poſſet quod Plinius ad Valerianum (2) de ſe ſcribens iactavit: *Me iuvat, quod in cauſſis agendis non modo pactione, dono, munere, ſed & xeniis ſemper abſtinui.*

(1) Ad Goffrid. Vindocin., & ad Sidonium Lib. 6. epiſt. 8.

(2) Lib. 5. epiſt. 14.

Digitized by Google

Unitas Fidei, & mutuum caput inter & membra vinculum ſignificaretur, ut habet S.Optatus Milevitanus: Harum ſcribendarum methodum, ne fraus ſubreperet, præſcripſit Nicænum I. can. 18. (*a*).

Sunt etiam Bullæ Pontificiæ, & Brevia, inter quæ, licet ab eodem Pontifice Romano ſcribantur, maximum tamen eſt diſcrimen: *Brevia*, inquit Mabillonius (1) *dicuntur, quod brevi via, ſeu manu, remotis omnibus ambagibus abſolvuntur: quippe quæ à Pontifice ut plurimum ſponte, & abſque rei longa diſcuſſione conficiuntur; Bullæ vero ea de cauſſa fiunt, ut diuturniores ſint, & illæ potiſſimum, quæ Cardinalium ſubſcriptione firmatæ, & Conſiſtoriales dicuntur.*

Illud etiam diſcriminis intercedit, quod muniantur Brevia pro ſigillo annulo Piſcatoris in cera rubri coloris: Bullæ ſigillo Plumbeo (de quibus fuſius infra dicemus) Bullæ per Cancelleriam, per Cameram, per Curiam expediuntur: Brevia vero a Præſide tantum, qui a secretis eſt, ſubſcribuntur, atque in aliis non.

(*a*) Vide Schelſtratium in Nota ad Sixtum, qui Æ. C. 26. iuſſit, ut quicumque vocatus a Sede Romana rediens ad ſuam Eccleſiam non ſuſciperetur, niſi Litteras Formatas populo exhiberet.

(1) De Re Diplomatica Libro 2. cap. 14.

Digitized by Google

nonnullis, quæ legi possunt apud Cl. Vincentium Petra (1) differunt.

Iam vero quantam faciant fidem Diplomata, ex eo quod Lib. 2. decret. legimus, colligere licet (2). Obtulerat anno MCCVIII. Abbas S. Donati de Scozzula veteres scripturas, quibus portum Scozzulæ Monasterio donatum probabat, petebatque, ut ipsi restitueretur: Innocentius III. Summus Pontifex, apud quem res agebatur, hæc respondit.

Contra privilegium multa fuerunt objecta, primo quia ibi maxime apparebat consumptum (in annotatione scilicet Indictionis) ubi potuisset falsitas facilius deprehendi: secundo quia quum charta vetutissima videretur, recentior apparebat Scriptura, tamquam non illo tempore facta fuisset: Tertio denique quia falsum sigillum vitiose videbatur appositum: eo quod e media parte sigilli apparebat quædam imago non cum mitra in capite, sed cum pileo, nec induta Pontificalibus, sed regalibus indumentis, tenens in manu non baculum pastorale, sed quasi sceptrum regale, cuius facies non apparebat integra, sed dimidia, tamquam in illa medietate respiceret aliam me-

(1) Commentar. ad Constit. Apost. Tom. 1. §. 3. n. 6.

(2) Cap. Inter dictos dilectos 6. *de Fide Instrument.*

Digitized by Google

medium, quæ tamen tota vacua remanebat, ſed quædam imago videbatur ex ea fuiſſe deleta, quia cera in ea parte nec in colore, nec in planicie reliquæ parti similis apparebat; Unde non Epiſcopi, ſed Imperatoris videbatur fuiſſe ſigillum, quia in una medietate Cæſaris imaginem exprimebat, & in altera medietate præſumebatur vel Filii, vel Coniugis imaginem habuiſſe; nam in ipſo ſigillo nullæ literæ apparebant, niſi quæ nomen proprium cum hac adiectione DEI GRATIA, *deſignabant; sed quum proprium nomen Epiſcopi fuerit Luitardus in nomine proprio, quod exprimebat ſigillum, deletæ fuerunt duæ literæ, ſecunda, quæ erat inter L & t, & ſexta, quæ fuerat inter r & u; ita quod ſi ſecunda o, & ſexta i, procul dubio non Luitardus, ſed Lotharius legeretur: quod etiam inde convinci poterat, quod ſecundum diſpoſitionem aliarum literarum inter L & t duæ literæ ſint diverſæ: præterea inter r, & u, tam modicum erat ſpatium, ut in ea nec hæc litera d, quæ maius occupat ſpatium, ſed hæc litera i, quæ minimum occupat, videretur formata fuiſſe. Rurſus cum hæc cera ſigilli ab interiore parte vetuſtiſſima eſſet, cera, quæ poſita erat ab exteriori parte, quaſi ad conſervationem ſigilli, recens erat, & mollis: quod quum diligenter inveſtigatum fuiſſet, certo certius eſt compertum, quod*

Digitized by Google

quod sub sigillo charta fuerit perforata, ut per glutinum novæ ceræ, quæ posita fuerat exterius, quasi ad conservationem sigilli, vitiose fuerit ipsi chartæ subiunctum eadem falsitatis specie per vitiosam videlicet appositionem sigilli: cætera fere privilegia Romanorum Imperatorum, præter privilegium Henrici vel falsa reperta sunt, vel falsata: sed & ipsum Henrici privilegium ad fidem instruendam non videbatur sufficere, quia nec erat publica manu confectum, nec sigillum habebat authenticum, eo quod erat ex media fere parte consumptum, nec plus de nomine proprio, nisi ultima medietas videlicet icus, *nec de cæteris literis, nisi hæc adiectio* Dei Gratia *apparebat: ita quod ex literis ipsis non magis poterat comprobari fuisse sigillum Henrici, quam Ludovici. Instrumentum quoque sententiæ multis modis inveniebatur suspectum, tum quia in ipso quædam apparebant literæ: tum quia subscriptio Notarii videbatur manus alterius fuisse, quam subscriptio Instrumenti, quum tamen Notarius in subscriptione profiteretur, se Instrumentum manu propria subscripsisse. Litera quoque recentior videbatur, quam charta, & aqua videbatur Encaustum infectum, ut antiquius appareret &c.*

Habes hic ex allata Innocentii auctoritate modum scrutandi rite, ac vestigandi diplo-

Digitized by Google

matum veſtuſtatem, ac veritatem. Ad pleniorem tamen facilioremque rei intelligentiam, quæ preſſe ille habet, fuſius paullo proſequemur.

§. II.

De Præcipuis Diplomatum Partibus.

DIplomatis ideam, eiuſque partes paucis exhibet Anonymus libello inſcripto *Syntagma dictandi* ante annos quincentos exarato, quem ex Codice Metenſis Eccleſiæ profert Cl. Mabillonius.

Solet, inquit Auctor, *prima linea præceptorum* (*ideſt diplomatum*) *Longis, & Æqualibus literis figurari* (*a*).

Initium autem Præceptorum huiuſmodi eſt (*b*): *In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Heynricus*

(*a*) Diplomatum characteres, qui eorum initia componunt, ut plurimum ſubtilibus, acutis, coacervatis, & in ſublime ductis apicibus ſunt conſpicui.

(*b*) Sub Regibus Merovingis initium erat: *In nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*: *In nomine Dei æterni*. Sub Carolo Calvo in omnibus diplomatibus, teſte Papebrochio, (1) priſtina rediit formula: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis*.

(1) Propyl. p. 1. §. 29.

Digitized by Google

cus Gratia Dei Imperator Auguſtus ; At varii pro temporum varietate fuere tituli : Sic: *Fridericus divina favente Clementia Romanorum Rex , & ſemper Auguſtus , & Rex Siciliæ .*

Conradus D. Auguſti Imperatoris Friderici Secundi Filius Dei Gratia Romanorum in Regem electus ſemper Auguſtus , & Hæres Regni Ieruſalem .

Sigebertus Rex Francorum Vir Illuſtris .

Ego Ariſtulphus præcellentiſſimus Catholicus Longobardorum Rex .

Rogerius in Chriſto Deo Fidelis , & Potens Rex Siciliæ .

Henricus II. Servus Dei , & Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ſecundum voluntatem Dei Salvatoris , noſtrique Liberatoris .

Pontifices omiſſa Invocatione ab Inſcriptione incipiunt, præmiſſo suo nomine nominibus eorum , ad quos dant Bullas , idque a Nicolai I. tempore ad exemplum Paulli I., cuius Bulla ad Pipinum incipit: *Paullus Epiſcopus Servus Servorum Dei præcellentiſſimo Filio Pipino Regi Francorum* : ante hoc tempus nomen Pontificis quandoque præmiſſum , quandoque poſt poſitum legitur ; sic Leo I. *Cæſari Theodoſio religioſiſſimo , & piiſſimo Auguſto Leo Papa Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ* . Suo item nomi-

ni addidere titulum *Papa* nonnulli, ut Leo Magnus: *Leo Papa universis per Siciliam constitutis salutem*, quo nomine ante ipsum se nominaverat Siricius (*a*): Alii se Episcopos urbis Ro-

(*a*) S. Siricius primus ex Romanis Pontificibus, in epistolis, teste Papebrochio (1), usus est hoc nomine *Papa*: quem titulum, quum Schismatici sibi vindicarint, Gregorius VII. in Concilio Romæ habito 1073. decrevit, ut uni Romano Pontifici hoc titulo uti liceret, ut refert Baronius (2), cui subscribunt Sirmondus (3), & Mabillonius (4) ex Cantelio (5), cui adversatur Pagius scribens (6), *Nescire, a quo acceperit Cantelius* id in Synodo Romana sub Gregorio VII. *Sancitum esse, neque enim in decem, quas hic Pontifex Romæ celebravit Synodis huius modi decreti vestigium aliquod reperitur*. At Baronius loco citato subdit: *Hæc in registro epistolarum Gregorii VII., quod asservatur in Bibliotheca Vaticana, ubi canones eius Synodi scripti habentur*. De hac voce *Papa* fuse scripserunt Illustrissimus Augustinus Barbosa (7), Guilielmus Burius (8), Eminentissimus tunc Prosper Lam-

(1) In conatu Chronico-Historico ad Siricium.
(2) In Martyrol. Rom. ad x. diem Ianuar.
(3) Annot. ad Ennodii epist. 1. Lib. 4.
(4) De Re Diplom. Lib. 2. cap. 2. §. 3.
(5) Hist. Metropolitan. Urbis tom. 1. par. 2. diss. I. c. 2.
(6) Breviar. tom. 3. in Addendis pag. 559.
(7) Iuris Ecclesiastici Lib. 1. cap. 2.
(8) Notitia Pontificum.

Digitized by Google

Romæ nominarunt (*a*) : Sic *Zosimus Episcopus Urbis Romæ Hesychio Episcopo Salonitano* : S. Leo (*b*) se Papam Ecclesiæ Catholicæ, & Urbis Romæ, ut in allata paullo ante Bulla ad Theodosium.

Lambertinus (1), Ignatius Bracci (2), Eminentissimus Vincentius Petra (3), Bollandistæ (4), Theophylus Raynaud (5).

(*a*) Zosimum electum an. Christi 417. primum hoc titulo usum esse ait Papebrochius (6); Verum Rodericus a Chuna (7) observat iam ante Telesphorum; qui Ecclesiam rexerat anno a Christi Nativitate 142, se Episcopum Komæ nominasse.

(*b*) S. Leonem Primum hæc addidisse verba, ait Eruditissimus Josephus Novaes in egregio suo opere de

(1) De Synod. Diocæs. Lib. 1. cap. 3. §. 4. tom. 12. edition. Romanæ 1748.

(2) Etymologia Nominum *Papa*, & *Pontifex*.

(3) Comment. ad Constitutiones Apostolicas to. 1. §. 3. num. 7.

(4) Histor. Chronol. Patriarch. Alexandr. Tom. 5. Jun. pag. 25.

(5) Tom. 10. suorum operum in Indice Alphabetico titul. *Rom. Pontif.*

(6) In Conatu Chronico-Historico ad Zosimum.

(7) Ad cap. *Statuimus* dist. 4. cap. *Transmarinos* dist. 98.

Digitized by Google

Consuevere etiam Pontifices sui nominis numerum addere, atque id nonnisi ab anno 1261. ab Urbano scilicet IV., qui Primus fuisse fertur, ut ex Pontificiis Bullis constat (*a*) *Urbanus Papa Quartus*, ut habet Papebrochius (1).

Post Pontificis nomen sequuntur verba: *Servus Servorum Dei*: atque huiusmodi formula ita propriam esse Diplomatis Pontificii censet Ioannes de Anania (2) ut suspectum habeat Diploma in quo voces illæ non habeantur (*b*).

Quum de Electione, & Coronatione Pontificum citans ibi Seraphinum de Fraitas. (3)

(*a*) In Bullario Laertii Cherubini legitur Pelagius Papa Secundus, qui Ecclesiam rexit 562.: huiusmodi tamen Bullam pro genuina non habent Critici.

Notandum, quod licet ante Urbanum IV. in fronte Pontificii diplomatis Numerus Nominis non habeatur, extat tamen in calce, ut ex Bullis Urbani II. Calixti II. Honorii II. datis Episcopis Verulanis, liquet.

(*b*) Formulam hanc, *Servus Servorum Dei* S. Cle-

to

(1) Tom. 2. respons. ad exhibit. error. P. Sebastian. a S. Paul. apud Riganti comment. in Reg. 34. Cancell. tom. 3. num. 26.

(2) Ad Proæm. Lib. 1. Decret. apud Raynaud. Tom. 10.

(3) De Iusto Imperio Lusitano Asiatico cap. 7. num. 2.

Digitized by Google

Quum Pontificium Diploma ad Catholicos Excommunicationis vinculo non irretitos dirigitur sequentia verba in fronte habet:

to, qui Pontificatum gessit anno Christi Domini 80. tribuit Martinus Polonus, sola ductus Breviarii Romani auctoritate, in quo, die vicesima sexta Aprilis in Lectionibus secundi Nocturni id legitur; At quum nulla extet. S. Cleti Epistola, ex qua id firmari possit, ex ingenio hoc a Polono dictum censent eruditi. Hanc non antiquiorem Sæculo VII. putant Pagius & Sandini (1) atque circa huius sæculi finem, ea usos esse Ioannem V. & Sergium I. liquet, ex eorum Rescriptis apud Mabillonium (2).

Illustrissimus Augustinus Barbosa (3) suo S. Damaso Hispano tribuit, atque hoc arguit ex epistola ad Stephanum Archiepiscopum (4): Verum num genuina Damasi huiusmodi epistola sit non consentiunt Critici; quin & maior eorum pars inter apocryphas reiicit. Vide Illustrissimum Ioannem Baptistam Bartoli (5)

Communior Eruditorum opinio post Ioannem Diaco-

(1) In Vita S. Cleti.

(2) De Re Diplom. Lib. v. pag. mihi 436. & Lib. 6. pag. 622.

(3) Juris Eccles. Univers. Lib. 1. cap. 2

(4) Extant inter opera Clement. Pontif. & Tom. 1. Concil. in Actis S. Damasi.

(5) Institut. Juris canon. cap. 19.

Digitized by Google

Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem (*a*).

Poſt

conum (1), Maurinos (2), Launoi (3), Chriſtianum Lupum (4), Bellarminum (5), Lambertinum (6), Gammarra (7), Pelagium (8), alioſque fert, addita illa verba fuiſſe a S. Gregorio I. an. 590. ut faſtum deprimeret Joannis Ieiunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui nomen *Univerſalis Epiſcopi* ſibi vindicare præſumebat.

Eo vel magis quod teſte Papebrochio (9), & Garnier (10), non omnes Pontifices in ſuis Epiſtolis verba illa uſi ſunt ante Leonem IX. qui anno Chriſti 1049 Eccleſiam rexit, vel ſaltem Gregorium VII an. 1073.

(*a*) Quum ex Gloſſa (11) vi horum verborum ab excommunicationis vinculo abſolveretur, qui Pontificium reciperet Diploma, conſulto abſtinent ab his verbis

(1) In Vita S. Gregorii Papæ Lib. 2. cap. 1.
(2) In Præfatione ad Epiſtolas S. Gregorii §. 11.
(3) Lib. 1. epiſt. 4.
(4) Diſſert. de Synodo VI. Gregorii tom. 3. cap. 13.
(5) Lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 31.
(6) De Ser. Dei Beatif. Lib. 2. cap. 19. num. 2.
(7) In extravag. Julii II. de Simoniaca Papæ electione Verb. *Iulius*.
(8) De Planctu Eccleſiæ Lib. 1. cap. 13.
(9) In Conat. Chronico Hiſtor. ad Catalog. Rom. Pontif. ad S. Cletum num. 4.
(10) Diſſert. 1. ad Librum Diurnum Rom. Pontif. pag. 82.
(11) Ver. *Salutationis* Cap. *Si aliquando* de Sent. excom.

Poſt illum prologum inducitur quaſi Perſona Imperatoris (Vel alia in dignitate conſtituta, cuius eſt diploma) loquentis, reddentiſque cauſſam, qua in-

verbis Pontifices, quum ad Acatholicos, & excommunicatos illud dirigunt. Videſis Maia (1), & Eminentiſſimum Vincentium Petra (2).

S. Cletum Auctorem huius etiam Formulæ vult Martinus Polonus (3); Verum *S. Cletus*, ait Ludovicus Iacobus a S. Carolo (4) *Scripſiſſe fertur epiſtolas, in quibus omnium primus uſus eſt verbis illis*: Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem, *Ita ab omnibus Auctoribus affirmatur; ſed an extent, neque in Conciliis Generalibus, neque in Epiſtolis Pontificiis hactenus reperire potui.*

Eruditiſſimus Sandini (5) addit, ſe nullum inveniſſe Pontificem ante Ioannem V. anno Chriſti 685., & Sergium I. qui eam adhibuerit, ut obſervare licet ex eorum Diplomatibus apud Mabillonium (6).

Papebrochius (7) vero, & Garnier (8) affirmant ante Leonem IX. vel Gregorium VII. formulam hanc non fuiſſe ſtabili uſu in Pontificiis Diplomatibus adhibitam.

(1) Obſerv. ad Bull. Clem. VIII. ſuper refor. Paroch. Panor. obſerv. 6.

(2) Comment. ad Conſt. Apoſt. Tom. 1.

(3) In Chronico. (4) Biblioth. Pontif. Lib. 5.

(5) Vit. Pontif. Tom. 1.

(6) De Re Dipl. Lib. 5. & 6.

(7) In Con. Chron. Hiſt. ad Catal. Pontif. Rom. ad S. Cletum num. 4.

(8) Diſſert. 1. ad Librum Diurnum Pontif. Rom. pag. mihi 152.

Digitized by Google

inductus illud voluerit præceptum ſtatuere dicens Regiæ dignitati competere, ut talium virorum (a), a quibus rogatus eſt, non debeat contemnere preces, vel quam voluerit facere illius edendi præcepti, Mundiburdii iuſtam cauſſam inſinuans.

Poſt

(a) Reges, & Principes alloquentes eos, ad quos diplomata dirigunt Viros Illuſtres, Dilectos, Fideles, Nobiles, Venerabiles nominant. Sic legitur *Dagobertus Rex Francorum Viris Illuſtribus*. Atque id ſive Epiſcopi ſint, ſive Abates.

Quibus vero utantur nominibus Pontifices Romani colligimus ex Decretalibus (1) ubi hæc habentur: *Apoſtolicæ Sedis conſuetudinem in ſuis Litteris hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Fratres: Cæteros autem Reges, Principes, vel cuiuſcumque ordinis* Filios *in noſtris Litteris appellemus.* Conſueverunt tamen addere Excellentiſſimos, Glorioſiſſimos, Chariſſimos, vel his ſimilia. Sic S. Felix III. qui primus ex Romanis Pontificibus Filium appellavit Imperatorem hanc initio Epiſtolæ ad Zenonem habet (2) *Glorioſiſſimo, ac Sereniſſimo Filio Zenoni Auguſto Felix Epiſcopus in Domino ſalutem.*

Ioannes Garnier accurate, nec non erudite agit (3) de methodo, qua Pontifices aliis ſcribentes utantur: atque de ea, qua alii Pontifici ſcribere debent. Hoc Garnerii opus maximi fecit Mabillonius (4).

(1) Lib. 5: tit. 20. cap. 6.

(2) Epiſt. 5. ad Zenonem apud Labbé Tom. 4. col. 1079.

(3) Diſſert. 1. ad Lib. Diurn. Rom. Pontif. pag. 152

(4) Lib. 11. de Re Diplom. cap. 2.

Digitized by Google

Post hæc quod Loco, vel Homini sua auctoritate concedat, vel roboret, erit illud subinferendum.

In fine vero Præcepti erit illud locandum, ut quicumque contra illius Præcepti decretionem fecerit, mille auri optimi Libras, vel quodlibet aliud pretium, quod instituerit Imperator, se persoluturum cognoscat, medietatem Regiæ Cameræ, & Medietatem Loco, vel Homini illi, cui illud Præceptum conscribitur (a).

Post hæc, quod Imperator (b) propria manu subscripsit, vel jussit, aut per Notarium suum subscribi præcepit, & anulo suo subtus jussit assignari.

Data sub die, mense, & anno, Indictione, Regnante Domino nostro illo, in Dei nomine feliciter.

Actum illo.

Amen.

(a) Claudi Diplomata etiam solent minis in Prævaricatores: Sic Riccardus I. pro Monasterio Anglicano: *Nos vero, quantum potest Rex, excommunicamus, & concedimus, quod incurrat indignationem Dei Omnipotentis quicumque contra hoc facinus venerit.*

(b) Subscriptio ante Carolum Magnum fiebat appositione nominis Principis propria manu scripti sic: + *In Christi nomine Theudoricus Rex subscripsi.*

A Carolo Magno adhiberi consuevit Monogramma; nomen scilicet compendio descriptum ex litteris eiusdem nominis inter se ope Crucis, vel aliarum linearum, iunctis. Huius rei Originem Mabillonius (1) haurit ex signo ☧ quo Christus significabatur, quod Constantinus Imperator insculptum voluit, atque hinc ad Diplomata translatum.

At melius fortasse Papebrochius (2), qui antiquissimum inquit fuisse morem apud Christianos in signandis

(1) De Re Dipl. cap. 10.
(2) In Propyl. Antiq. par. 1. cap. 4.

Digitized by Google

ſubſcripſerit, & proprio Sigillo (a) munierit, erit adiiciendum.

Poſt

dis Scripturis formare + Signum Crucis addito ſuo nomine. Immo Imperatorum, ac Conciliorum iuſſu ſanctum fuit, ut qui literas formare neſcirent, aliena quidem manu Nomen ſubſcriberent, propria vero Crucis ſignum efficerent.

In Pontificum Bullis nullum apparet Monogramma ante Leonis IX. ætatem. Hic vero in circulum nomen ſuum inſcribebat cum epigraphe intra geminas Cruces expreſſa. *Bene Valete*, quibus alii Pontifices ab Urbano II. addidere nomina *Petri*; *& Pauli*.

De Monogrammate erudite egit Ludewigius (1). De ſcriptione Pancirolus (2), & Buddæus (3). De ſubſcriptione Medii ævi Hertius (4), qui in compendium veluti redegit, quæ de his habet Mabillonius loco citato.

(*a*) Sigillum erat vel cuiuſcumque Imago, vel Monogramma in annulo, quod deinde ceræ imprimebatur: Medio autem ævo annulis ſubſtituta fuere Sigilla pleraque penſilia, in quibus dumtaxat eſt Principum caput: deinde fuit dimidiata effigies: tandem fuere aliquando integræ etiam Figuræ vel ſedentium Principum in ſolio, vel inſidentium Equo cum Lorica, Clypeo, & Haſta.

Nomina in his ſigillis Literas habent Romanas:

In

(1) In Præfat. ad Tom. 1. ad reliq. MSS. §. 36.
(2) Lib. Variar. Lect. cap. 18.
(3) Ad Leg. 5. ff ad Leg. Cornel. 27. De falſis.
(4) De Fide Diplom. ſect. 1. §. 13.

Digitized by Google

Poſt acceptum Decretum, Monogramma eſt po-ponendum, in quo nomen Imperatoris Auguſti Dei gra-

In antiquioribus vero Literæ Romanæ cum barbaris permixtæ ſunt. De his agunt Heinecius (1), Salmaſius (2), Heraldus (3).

De Pontificiis vero Sigillis hæc univerſim habet ab Eruditione, & a Purpura Eminentiſſimus Vincentius Petra (4) *Sigillum antiquitus non continebat imagines SS. Apoſtolorum Petri, & Paulli, ut tempore præſenti: nam pluries immutatum fuit, ... Hinc antiquiſſima diplomata videmus cum ſigillo continente tantum Pontificis nomen in una parte, & in altera nomen* PAPA, *ut temporibus Joannis V., Sergii I., Stephani III. Nicolai I., Ioannis XIII., ac aliorum .... Sic in Bulla Stephani VII. in parte antica extat nomen* Stephani, *& in poſtica nomen* PAPA *cum Cruce intermedia, Sic in aliis nomen* Ioannis Papæ *in Altera parte, in Poſtica vero* Magna Crux, vel Roma Picta *cum verbis* Aurea Roma. *In ſequenti tempore fuerunt loco nominum poſitæ* Effigies, ſeu Capita SS. Apoſtolorum; *& aliqui id adſcribunt temporibus Paſchalis II.*

Subdit deinde a Clemente VII. primo appoſitas fuiſſe quinque Roſas Mediceæ ſuæ familiæ ſtemma in Bulla collationis Abbatiæ Caſamarii directa Eminentiſſimo Annio Filonardi. (5)

Tri.

(1) Lib. 1. cap. 6 §. 9.
(2) De modo Uſurar. cap. 10. &, 11., & præſerde ſubſignat. Teſtamen.
(3) In obſerv. ad Jus Atticum Lib. 7. cap. 7.
(4) Ad Conſtit. Apoſt. in Proæmial.
(5) Ibidem.

Digitized by Google

gratia habeatur connexum, vel alia quælibet, quæ Imperatorem condeceat. Ex

Triplicis dein fuit generis, hodieque est Sigillum Pontificium. Primum est Annulus, quo utitur Pontifex, ubi est imago S. Petri habitu Piscatoris in navicula trahentis rete piscium: hoc obsignantur Brevia, atque id a Sæculo XV., vel ut aliis placet quadrigentos ab hinc annos: atque eodem tunc temporis litteras privatas quoque muniebant, ut colligimus ex eis, quæ Clemens VI., qui Ecclesiæ clauum anno 1264. tenebat, Ægidio Gross suo consanguineo scribit: *Non scribimus tibi, nec consanguineis nostris sub Bullæ, sed sub Piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur.*

Alterum est Plumbeum; In plumbo scilicet imprimitur ex una parte Nomen regnantis Pontificis, ex alia Capita S. Petri, & S. Pauli cruce interiecta.

Ubi S. Paullus dexteram partem tenet S. Petrus sinistram: *In Bulla Domini Papæ*, inquit Matthoeus de Paris anno 1237. *stat imago Paulli a dextris Crucis in medio Bullæ figuratæ, & Petri a sinistris.... Verumtamen propter Petri Clavigeri dignitatem, & cathedralem dignitatem cum prioratu vocationis merito a dextris Crucis eius imago collocanda videtur.* Qua ratione id factum sit, non satis liquet. In rebus sacris honorabiliorem esse sinistram putat Baronius (1). Ex Inciforum oscitantia id primo evenisse censet Antonius Caraccioli (2), qui inquit dum dextrorsum S. Petrum incidentes collocant, ac sinistrorsum S. Paullum; non ani-

(1) An. Christi 325. num. 4. & an. 142. num. 50.

(2) Apud Leonem Allatium De Eccles. Orient. & Occid. consensione cap. 6. §. 3.

Digitized by Google

Ex utraque autem Monogrammatis parte longioribus literis scriptum erit signum Domini illius Im-

animadverterunt oppositum obtingere imprimentes.

Ab ætate S. Petri Damiani qui opusculum tricesimum quintum hac super re scripsit, id observatum est; Immo Damianum primum fuisse, qui ad id animum adiecerit ait Laudatus Caraccioli. Scripsere de hoc argumento erudite S. Thomas (1), Durandus (2), Molanus (3), Baronius, Binius, Spondanus (4) Macedo (5), Inchoferus (6), Angelus Rocca, Mucantius (7), Theophilus Raynaudus (8), Casalius (9), Petra (10), Riganti (11), aliique.

Cuinam vero ex Pontificibus Plumbeum Sigillum tribui debeat, non una est Historicorum sententia. S. Silvestro, qui floruit anno Christi 314. tribuit Cl. Do.

(1) Epist. ad Galat. Lect. 1.
(2) Rat. divin. Off. Lib. 7. cap. 24.
(3) Hist. Sacr. Imag. Lib. 3. cap. 24.
(4) Ad Ann. 325.
(5) De Clavibus Petri Lib. 1.
(6) Apud Allatium de Eccles. Orient., & Occid. perp. consens. Lib. 1. cap. 6.
(6) De SS. Apostol. Petri, & Paulli prælat.
(7) De SS. Petri, & Paulli Imaginibus Tom. 6. Iun. Bolland. par. 2.
(8) De Bicip. Ecclesia Tom. 10.
(9) De Veter. Sacr. Christ. ritibus cap. 2.
(10) Comment. ad Constit. 3. Apost. Tom. 1. §. 1., & seq.
(11) Comment. in Reg. 17. Cancel.

Digitized by Google

Imperatoris Sereniſſimi, vel Auguſti, vel aliud quodlibet huiuſmodi.

Poſt

Dominicus Rinaldi (1) Cuſtos Vaticanæ Bibliothecæ, quocum conſentiunt Magri (2), Dufreſne (3), Van. Eſpen (4), Tarnelli (5). Gregorio I. qui 590. Eccleſiam rexit adiudicat Thomas Stubss (6). S. Deodatum, qui 615. in cathedra Petri ſedit, Auctorem vult Antonius Franciſcus Gori (7). S. Stephanum III., qui 768., vel Adrianum I., qui 772. regnavit, cenſet Polydorus Virgilius (8), cui Burius ſubſcribit (9), nec diſſentire videtur Sandini (10).

Verum Anaſtaſius Abbas, & Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, qui anno 880. floruit, ſe vidiſſe, & manibus obtrectaſſe teſtatur plumbeum ſigillum Honorii I. qui Petri claves habuit anno Chriſti 625. Laudatorum modo Auctorum opiniones ad trutinam revocat Cl. Mabillonius (11).

Plumbeo quoque utuntur ſigillo Venetiarum Reipubli-

cæ

(1) Apud Allatium loc. cit. §. 2.
(2) Hierolexicon Ver. *Bulla*.
(3) Gloſſarium Tom. 1. ver. *Bulla*.
(4) Iur. Eccleſ. Univerſ. par. 1. tit. 23. cap. 4. num. 7.
(5) Epiſt. Eccleſ. Tom. 2. Epiſt. 33.
(6) Apud Mabill. de Re Diplom. Lib. 2. cap. 14. num. 7.
(7) Præfat. ad Inſcriptiones Donianas.
(8) De Rer. Inventor. Lib. 8. cap. 20.
(9) In Notit. Rom. Pontif. pag. 121., & 449.
(10) Vit. Pontif. Tom. 1. pag. 249.
(11) De Re diplom. Lib. 2. cap. 14. num. 7.

Digitized by Google

Poſt Monogramma prolixioribus, & paribus
L *lite-*

cæ Dux Sereniſſimus, atque Eminentiſſimus Meliten-ſis Ordinis Magiſter, teſte Eminentiſſimo Vincentio Petra (1).

Raro admodum Aurea Bulla utuntur Romani Pon-tifices, quum ſcilicet Romanorum Imperatoris con-firmant electionem, ut habet Dominicus Rinaldi apud Riganti (2) qui ſubdit cum Carolo Du - Freſne (3) Clementem VII. vel potius Leonem X. (ut optime advertit Cl. & vere in Eccleſiaſticis præſertim rebus Eruditiſſimus Ioſephus Novaes, ut videre eſt in Libris de Electione Romani Pontificis, eorumdemque Pon-tificum Vitis, in quibus quidquid uſque adhuc Eruditi viri ſcripſerunt, accurate, diligenterque, nec ſine maturo iudicio refert.) Aurea Bulla conſignaſſe Di-ploma, quo Henricum VIII. Angliæ Regem titulo *De-fenſoris Eccleſiæ* decoravit. Et reipſa quinquageſima prima eſt eiusdem Leonis X. Conſtitutio.

Obſignaſſe quoque Clementem XI. Aurea Bulla Conſtitutionem, qua inſtante Ioanne V. Luſitaniæ Rege, Epiſcopatum Uliſiponenſe in Patriarchatum erexit, novimus ex Conſtitutione 234. incip. *In Su-premo* 7. Nov. 1716. (4)

Tertium quod adhibent Sigillum in præſentia Pon-tifices illud eſt, quod inſculpta habet propriæ Fami-liæ arma atq. eo privatis epiſtolis utuntur, ut teſta-tur Mabillonius. (5)

Ex

(1) Comment. ad Conſtit. Apoſt. Tom. 5. §. 3. n. 38.
(2) Loc. citat. (3) Loc. ſupra cit.
(4) Bullar. Tom. 11. (5) Loco cit.

Digitized by Google

literis (a) Heinricus, vel A. Cancellarius, sive G. Vercellensis Episcopi recognovi istud factum (b).

In ultima Chartæ linea Quoto anno a Domini Iesu Christi Incarnatione (c), & Quota Indictione

Ex Sigillis sive prophanis, sive sacris aliqua fuere affixa membranis, alia fasciis ex membrana confectis in Crucis formam decussatis appensa fuere perforatis chartis, ut Fidei publicæ monumenta essent.

(*a*) Mabillonius censet omnes, & singulas literas nominis in Monogrammate contineri debere. Contra Papebrochius pluribus monumentis probat Monogrammata, quo antiquiora, eo simpliciora, & Crucis figuræ similiora esse.

(*b*) In Antiquioribus Regum, vel Imperatorum diplomatibus observatur subscriptio Notarii ad vicem Referendarii, aut Cancellarii; In Recentioribus vero Cancellarii ad vicem Archicappellani, quod idem valet, ac Protonotarii.

(*c*) Pro tempore dati Diplomatis advertendum Gallos & Alemannos Anni initium a Martio, vel a Pascha, alios a Nativitate Christi; qui mos Dionysio Exiguo a Scriptoribus, ut ait Illustrissimus Pompeius Sarnelli (1) tribuitur. Hic ætate Iustiniani Imperatoris Sæculo VI, anno scilicet 527. circiter floruit.

Octavo autem sæculo primus Venerabilis Beda inter Historicos Incarnationis annos supputavit, & supputatione hac usus est: quæ ex Codicibus, ad Diplomata

(1) Lume a Principianti nello studio delle Materie Ecclesiastiche, Quesito 39.

Digitized by Google

ne (a), *& Quo Regni, vel Imperii illius Imperatoris, Regis, vel Pontificis anno* (b), *& Quo Loco, literis erit communibus conscribendum.*

L 2 Eu-

mata, Longobardorum Regum voluntate, transiit.

Consuevere supputari Tempora in Ecclesiasticis Diplomatibus per annos Diocletiani, & per Consules: (Hos in primis paginis Codicis ab V. C. 244. exacte recenseri iussit Iustinianus) Sic Leo I. anno Christi 446. Datum tempus hoc modo significavit: *Kalendis Novembris Alipio V.C.* & iterum 452. *Kalendis Aprilis Opilione V. C.* Item Gelasius I. 496. *Kalendis Februarii Victore Viro Clarissimo Consule*, ut observat Sarnelli (1).

(a) Post hæc invaluit Indictio, quæ quindecim annorum spatium complectitur, atque Triplex est Constantinopolitana, seu Græcorum Imperatorum, quæ a Kalendis Septembris initium sumebat: Constantiniana, quæ ab VIII. Kalendas Octobris, quaque Germani utebantur; & Pontificia, quæ a Kalendis Ianuarii.

Maximæ Utilitatis, immo & Necessitatis quum sit pro Historiæ, & Diplomatum intelligentia Indictionum notitia: idcirco non omittendam putamus observationem Domini Lenglet du-Fresnoy, non unam scilicet esse Auctorum circa supputationis initium opinionem. Censet namque Scaliger ab Æra Antiochiæ, 48. scilicet annis ante Æram Christianam initium sumendum esse: Alii a Christo nato 312; inter quæ discrimen esset annorum 359.

Illud

(1) Tavolette Cronologiche Discorso Preliminare.

Digitized by Google

Eugenio IV. qui anno 1441. floruit, tribuit Litterarum Apoſtolicarum ſupputationem per

Illud advertendum etiam, quod Auctores Orientales a 1. Septembris; Occidentales vero a 22. menſis eiuſdem supputationis initium ſtatuerunt. Occidentales in ſuis Diplomatibus ſequuti ſunt Romani Pontifices.

Poſt quam vero inducta fuit Magni Conſtantini Indictio anno Chriſti 312., cuius initium erat a 24. Septembris, quæque uſu recepta fuit in Italia, regnante Theodorico Gothorum Rege, hac primo uſus fuit Pelagius II. qui anno 578. Eccleſiam regebat, ut ex ſuis Bullis colligitur, inquiunt Antonius Pagi (1), & Sandini (2) in iis enim ſic habetur: *Datum Kalendis Martii Indictione V.*: Et ſic qui poſt ipſum Pontificatnm tenuere Conſtantinianam Indictionem adhibuere ad ætatem uſque S. Gregorii Magni anno 590., qui teſte laudato Sarnelli, Conſtantiniana Indictione ſuas Litteras ſignavit: Ex quo patet ipſum non adoptaſſe ſupputationem Abbatis Dionyſii Exigui Schytæ Romæ degentis, qui annos a 25. Martii ex Incarnatione Domini per ſuum Cyclum Paſchalem 95. annorum curſu ſupputabat; ſed ad Leonem IX. uſque 1049. Indictione uſi ſunt. Licet poſt Conſtantienſe Concilium Indictionis Pontificalis initium, die 25. Decembris, die ſcilicet Nativitatis Domini, Decretum fuerit.

Canonem hic ſubdere nobis libet, quo facillime quæ-

(1) Breviar. Geſt. Rom. Pontif. in Vit. Pelagii II. num. 23.

(2) Vit. Pontif. Tom. 1.

Digitized by Google

per annos Incarnationis Domini Paullus Fori Sempronii Episcopus (1) : *A paucis ante annis*, inquit, *præsidente Eugenio IV.*, *adhortante Blondo Foroiulensi Pontificii Collegii a secretis Notario*, *in Bullis*, *atque Rescriptis Pontificalibus annorum a Christi Incarnatione supputatio scribi primum cæpit*.

At quum noverimus Leonem IX. regnantem 1049. nonnullas suas Literas signasse annis

quæsitum Pontificalis Indictionis tempus habeatur : Anno, cuius tempus Indictionis quæris, adde tres annos : Productum ex omnibus annis Christi, & tribus item additis, divide per 15. Residuum dabit Indictionem anni, de quo quæris. Quod si nullum erit post divisionem, Residuum, Indictio erit 15. Sic currenti anno.

1782
Adde 3
Productum erit 1785
Divide per 15. | 15 (119
15
28
15
135
135
Residuum erit —— 000

Adeoque Indictio erit 15.

(1) Lib. 13. suæ Paulinæ cap. 6.

Digitized by Google

nis ſupputatis ab Incarnatione Domini, ut habet Riganti (1), cuius exemplum ſequuti ſunt Victor II. Stephanus IX., Nicolaus II., Gregorius VII., Alexander II., Victor III. teſte Mabillonio (2), & Pagio (3) qui nonnullorum Pontificum Diplomata referunt annos Chriſti habentia, quibus addit Laudatus Riganti Literas Ioannis XIII. Landolpho Beneventano Epiſcopo datas, in quibus legitur: VII. *Kalendas Iunias per manum Widonis Epiſcopi Sylvæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ anno Pontificatus Domini noſtri Ioannis XIII. Papæ Quarto; Imperii vero Othonis Maioris VII. Minoris II., Indictione supra XII. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIX*, de aliis quoque meminit Auctor Diſſertationis de exiſtentia Corporis S. Bartholomæi in Beneventana Civitate (4): quibus addi poſſunt Bullæ, quæ inter inedita Verulana Monumenta extant: idcirco Paullo Fori Sempronii Epiſcopo non ſubſcribimus.

Illud

(1) Comment. in Regul. XVII. Cancel. Tom. 2.

(2) De Re Diplom. Lib. 2. cap. 25. §. 7.

(3) Breviar. Geſt. Rom. Pontif. In Vita Leonis IX. num. 59.

(4) Diſcorſo, nel quale ſi prova, che 'l corpo di S. Bartolomeo Apoſtolo ſtia in Benevento.

Digitized by Google

Illud Eugenio IV. Erudit cum Pagio (1) concedunt ; quod interruptam ab Incarnatione Domini supputandi methodum reſtituerit, quamque Pontifices ab ipſo conſtanter retinuere .

Ex iis , quæ in Bullario sunt , Conſtitutionibus anno Incarnationis notatis Prima eſt Gregorii VII. 1075. ; ubi legitur : *Actum* ab Incarnationis Domini 1075.

Addit his Papebrochius (2) quod Gregorius idem VII. miſſis Imperatorum annis, annis sui Pontificatus Diplomata notavit ; cuius exemplum perpetuo dein Pontifices ſun t imitati . Dixi Perpetuo , quippe , ut recte notat Cl. Sandini (3) , ab ætate Leonis IV. id factum anno 853. in Concilio ab eodem Leone Romæ habito , obſervatur , ubi ſic legitur : *Anno Pontificatus Sanctiſſimi , ac Coangelici , & Univerſalis Quarti Papæ Leonis Septimo .*

Quod firmat Papebrochius idem (4) *Bene*, inquiens , *obſervat Mabillio* (5) *Seculo primum*

(1) Loc. cit. In Vita Leonis IX. num 59.
(2) In Conatu ad S. Gregorium Magnum num. 2. Diſſert. 38.
(3) Vit. Pontif. Tom. I.
(4) Loco nuper laudato .
(5) De Re Diplomat. Lib. 2. cap. 25. §. 1.

Digitized by Google

nono capisse Pontifices, omissis Imperatorum annis, eatenus semper notaris, Pontificatus sui annos substituere (maxime quum illi erant propter Investituras excommunicati) sicut constantissime fecit Gregorius VII., quem cæteri deinceps omnes sequuti sunt.

Quæ ita quum sint, recedendum censeo a Cl. Gulielmo Burio (1) qui de Paschali II., qui anno 1099. Christi Pontificatum gessit loquens, ait, *Fuit hic Primus Papa, qui annos Pontificatus sui, sicut Imperator Regni, computare, & subscribere cœpit.* Luculenter id firmari potest ex Bulla Urbani II. data Alberto Verùlensi Episcopo anno 1097. Anno decimo sui Pontificatus, quam refert Ughellius (2), quæque extat Verulis in Cathedralis Ecclesiæ S. Andreæ Archivio.

§. III.

Conjectura multiplex ad Scripturæ Vetustatem inferendam.

SCripturæ alicuius Antiquitas colligi facile potest 1. Ex Materia, in qua exarata est. 2. Ex Codicum, & Scripturarum Figura.

(1) Notit. Rom. Pontif. ubi de Paschali II.
(2) Ital. sacr. Episc. Verul. §. *Albertus*.

Digitized by Googl

gura. 3. Ex Operimentis Codicum, & Voluminum. 4. Ex Atramento, quo formatæ, depictæque sunt literæ. 5. Ex Literarum ipsarum forma, varioque charactere.

Vetustatem innuere Scripturam charta Nilotica exaratam nulli dubium est, atque in hoc omnes conveniunt Antiquitatis Eruditi. Chartam hanc ad sæculum usque XI. perseveraſſe colligit Cl. Ioannes Mabillonius (1) ex privilegiis ab Adriano I. Ioanne VIII. Victore II. Innocentio III. datis, qui ex Glossariis, & ex eius ætatis Scriptoribus arguit non nostram vulgarem, sed Ægyptiacam chartam venire (a). Varios quoque Codices ex Charta Ægyptiaca refert Mabilonius idem (2).

Obstant vero Allatius, (3) & Vossius (4), Qua-

(a) Præter ea, quæ de Materia supra diximus Cap. VI. §. 11. Quadruplex adhuc extat Materiæ species, Charta scilicet Nilotica, Membrana, Bambycina, & Communis ex linteis contritis.

Distinguendus etiam est Cortex, seu Liber a Papyro: Tunicæ interiores corticum arborum, hoc est, mem-.

(1) Lib. 1. cap. 8. de Re Diplomat.
(2) Supplem. de Re Diplom. cap. 3.
(3) Animadvers. ad Monument. Etrusc. Num. 36.
(4) Ad Catullum p. 3.

Digitized by Google

Quadratos namque Libros non ex Papyro, ſed ex membranis utraque ex parte ſcripturam admittentibus factos docent.

In Pellibus etiam animalium, Ovium præſertim ſcribere Veteres conſueverunt: quin & in Piſcium pellibus, ut in Hugonis, & Lotha-

Membrana tenuiſſima lignum inter, & exteriorem corticem arboris interiecta Liber, ſeu Cortex dicebatur: *In foliis primo ſcriptitatum*, ait Plinius (1), *deinde quarumdam arborum libris: Præparantur ex ea*, ſubdit *Chartæ actu diviſæ in prætenues, ſed quam latiſſimas philyras*. Papyrus vero ex pelliculis herbæ Ægyptiacæ, quæ ad Nilum plurima oritur, contexebatur.

Methodum eam conficiendi refert Leo Allatius (2) *Ex Papyri philyris*, ait, *aut exuſſis, & ſimul vinctis tamquam ſtamine, & ſtatumine compaginabatur, quemadmodum & tela fit ex pluribus filis: extendebantur enim Papyri Philyræ in aliqua tabbla, hinc obliniebantur glutino. Si in Ægypto texebantur, Aqua Nili turbida, ſi Romæ, vel aliis partibus texebantur, pollinis flore fervente aqua temperato minimo aceti aſperſa: deinceps aliæ philyræ tranſuerſæ ſuperponebantur ad modum cratis: tandem malleo tenuata, glutino percurrebatur; iterumque conſtricta erugabatur, atque extendebatur malleo.*

Idipſum innuit Matthæolus (3) *Antiqui*, ait, *ex Papyro chartam factitabant, quemadmodum nos ipſam ex contritis linteis conficimus: unde hactenus antiquum retinens nomen, etiamnum Papyrus apud pleroſque dicitur.*

(1) Lib. XIII. cap. XI. (2) Lib. XVI. Fragment. Etruſc. (3) In Dioſcorid. lib. I. cap. 9.

Digitized by Google

Lotharii Regum Italiæ diplomatibus obſervavit Puricellus (1) & teſtatur Zonaras (2); igitur deſcriptus Codex antiquitate donandus (*a*). Cedrenus item (3) Draconis inteſtinum pedes centum viginti longum, in quo Ilias, & Odiſſæa cum rerum hiſtoriis ab Heroibus geſtarum ſcripta erant, in Bibliotheca Conſtantinopolitana, Baſilio Imperante, aſſervatum fuiſſe refert.

Char-

(*a*) Hanc ſcribendi materiam, Membranam ſcilicet, inventam fuiſſe ante chartam cenſent Delecampius (4) & Pancirolus (5): Chartam nempe ætate Alexand. i primum inventam cenſent; Membranaceos vero libros tempore Ptolomæi Philadelphi: in membrana quippe ſcriptos fuiſſe libros ipſi ab Eleazaro Iudæorum Pontifice miſſos ſcribit Ioſephus, (6) atque hinc proverbii loco habetur *Diphtera antiquius*, hoc eſt Membrana.

Huic vero opinioni adverſatur Plinius (7) qui ex Varrone refert, Pergami ab Eumene Rege inventas eſſe membranas, ſupprimente chartas Rege Ptolomæo

(1) Lib. de Ambroſianæ Mediolanenſis Eccleſiæ monumentis.

(2) Lib. 3. Annal.

(3) Hiſt. de Baſil. Imperat.

(4) In Notis Plinianis.

(5) Lib. II. tit. 13.

(6) Lib. XII. Antiquit.

(7) Lib. XIII. cap. XI.

Digitized by Google

Charta Bambycina (quæ ex Goſsypio fit, vulgo Cottone, ut putat Montfaucon (1): quæque apud Scriptores Medii ævi Bambycina & Bambacina dicta etiam eſt) Sæculo decimo rarior in uſu fuit, decimo tertio, & quarto frequentior: quare in his exarata ſcripta decimum Sæculum indicant ad ſummum.

Carbaſus Serici, an Goſsypii species ſit, in diverſas abeunt sententias Auctores, qua de re vide Salmaſium (2), & Lipſium (3).

Quam adhibemus in præſentia chartam e veterum linteorum reliquiis contritis, macera-

mæo: a loco Pergamo ſcilicet, Pergamenæ audiunt. Idipſum tamen, quod Eumenes membranas invenerit, in dubium revocatur: tum quia ſcriptura ab Eleazaro miſſa in membranis exarata erat: tum quia Membrana interponebatur foliis papyraceis, ut ſuſtineri folia poſſent teſte Montfaucon (4). Niſi forte dicere velimus Magnam Membranarum copiam fieri iuſſiſſe Eumenem ob chartarum inopiam.

Pumice Membranæ poliebantur ad molliorem ſcribentium uſum: immo etiam eas pro librorum operimentis adhibitas fuiſſe ait Caſaubonus. (5)

(4) De

(1) Paleograph. græc. lib. 1.
(2) In Exercit. Plinii.
(3) In 2. Annal. Tacit.
(4) In Antiq. p. 551.
(5) Ad Satyr. 3. Perſii.

Digitized by Google

ſratis, ac veluti in pollen redactis ante Sæculum XII. aut certe XI. Maioribus noſtris fuit incomperta: In ea profecto vix ulla Diplomata, publicave Inſtrumenta invenies exarata, ſed epiſtolas tantum, minutioreſque Scripturas: Chartaceos Codices vix Sæculum XIV. excedere cenſent eruditi (*a*).

Qui ex Librorum circumciſione eorum Antiquitatem denegant, apprime falluntur: Eorum quippe Circumciſio enata eſt, inquit Voſſius ad Catullum (1), cum uſu voluminum, ut ex Ariſtotele arguit in Problem. ſect. XIV. Problem. VI., qui rationem tradit ſectionis. De qua ſectione meminit etiam Lucianus (2).

Ve-

(*a*) De charta ex linteis compacta meminerunt Veteres Romani Scriptores; at non attritis, & coagulatis, ſed linteis integris, & glutine oblitis, hoc eſt Bambycina, de qua ex Montfaucon paulo ante diximus, intelligi debent. Plinio ſane incognitam Papyrum hanc noſtratem fuiſſe, ex eo probat Allatius (3) quod quum ex profeſſo de omnium Chartarum ſpeciebus agens, ut ex ſumma Capiti præpoſita liquet; videlicet: *De Generibus Chartarum, & quomodo chartæ fiant, & de Chartarum probatione & vitiis, & glutino earum*: de Noſtrate ne meminit quidem.

Id ge-

(1) pag. 53.
(2) Dialog. advers. Indoctos Tom. II. edit. Græv.
(3) In Antiquit. Hetr. Frag. Anim. Num. LIII.

Digitized by Google

Veteribus Scripturis merito annumerantur Volumina (*a*) Membranis confecta, ſerico filo aſſuta, quæ Papyro conglutinabantur. Dein paginæ filo, aut glutine iunctæ bacillo cylindraceo (*b*), quem umbilicum dixerunt, vol-

ve-

Id genus Chartæ, ait laudatus Allatius (1) *quo nunc* utimur ex linteis contritis, & maceratis, & eius Auctorem haud palam eſſe tradit Polydorus Virgilius (2) Guido Pancirolus (3) & in eum Henricus Salmuthius, Alexander Taſſonus (4) Matthæus item Raderus (5) qui eius quoque conficiendi artificium ex poeta Germano deſcripſit.

(*a*) Volumina a volvendo dicta, quod ſcilicet Folia omnia circa bacillos volvebantur: Primo fere omnes Libri apud Hebræos, Græcos, & Veteres Romanos in Volumen compingebantur.

(*b*) Bacilli e cornu polito quandoque fiebant; hinc dicebantur, Librorum cornua; vel potius quia ex utraque parte bacilli folia ipſa convoluta ſuperabant, extimæ illæ bacillorum partes cornua dictæ fuerunt, ut illud Martialis (6).

Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum.

(1) In Antiquit. Hetruſcarum Fragmenta ab Inghiramio edita Animadverſiones Num. LIII.

(2) De Invent. Rer. Lib. 2. cap. 8.

(3) Variar. Lect. Lib. 1. cap. 28. de Novis reperiis Lib. 2. tit. 13.

(4) Comment. Variar. Lect. Lib. 10. cap. 26.

(5) In Martial. Lib. 14. Epigr. 7.

(6) Lib. 5. Epigram. 6.

Digitized by Google

vebantur, quo commodius complicari, explicarique possent.

Præ cæteris autem vetustatis fidem faciunt Membranacei Codices in Terniones, Quaternionesque tributi (*a*) conglutinatos, & malleo complanatos (*b*), si ligneis tabellis omnino

(*a*) Vide quæ supra diximus de Ternionibus, & Quaternionibus, nec non quæ circa ea sentit Du-Fresne, & quæ Cl. Montfaucon. Alii Codices formam perfecte Quadratam referebant, quod vulgo dici solent in Quarto Quadrato; quod signum quoque Vetustatis est. De his vide Lilienthal (1); Græci enim, & Romani, quum in tabulis vel alia Materia, quæ complicari non poterat, scribebant, Quadrata utebantur figura.

(*b*) Malleabantur, & conglutinabantur etiam antiqui Codices teste Ulpiano (2). *Sed præscripti Libri non dum malleati, vel ornati continebantur, proinde & non dum conglutinati*. Et Tullius (3) *Novum*, ait, *Proœmium exaravi, & tibi misi, tu illud desecabis, & hoc agglutinabis*. A Fannio Romæ primum malleari charta cæpit, ait Plinius (4): Philtatium quemdam Athenis conglutinandorum librorum modum inveniisse, ac proinde statuam illi fuisse erectam refert Olimpiodorus apud Photium (5).

(1) In select. Litter.
(2) L. 52. §. 5. de Legat. III.
(3) Ad Attic. Lib. 16. epist. 6.
(4) Lib. 13. cap. XI.
(5) In Biblioth.

Digitized by Google

nino nudis sint convestiti : Quippe tabellæ huiusmodi non ante sæculum XII. operiri membranis cœperunt (*a*). In angulis bulla ex aurichalco fere adnexa, ne compacturæ discinderentur : Id autem moris ad sæculum usque XIV. usurpatum deprehendimus, ut Struvius observavit. Verum id de Romanis libris intelligi debet, quum *Libros*, *Græci*, ait, Eruditissimus Monfaucon (1) *a multis retro sæculis ad*

(*a*) In medio ævo asseres Quernos pro indumento inventos fuisse refert Allatius (2)

Sæculo vero XII., & XIII. Ligneæ tabellæ membranis obducebantur, in medio quoque, & angulis cuiusque lateris bullæ, ut dictum est, ex aurichalco ad conservandam compacturam addebantur ; id obtinuit, auctore Struvio (3) ad Sæculum XIV. *Cains medio*, ait, *compacturas videmus cum tabulis quidem ligneis : corio tamen fusco plerumque, quandoque etiam rubro obductis, idque usquedum compacturæ corii suilli orirentur*.

Antehac *Librorum operimenta* ait I. C. Trotz (4) *erant ex Materia eadem, in qua erant scripti Libri : Nonnumquam ex Fragmentis aliorum Codicum Membranaceorum dudum perscriptorum operimenta consarcinata*

(1) Lib. 1. Paleograph. Græc. cap. 4.
(2) Animadvers. ad Monum. Etrusc.
(3) De Criter. MSS. in Act. Litterar. par. 1. pag. 43.
(4) In Not. ad Herman. Hugo cap. 35. de prima scribendi origine.

Digitized by Google

ad hodiernum pene modum compingebant , distributa in Terniones , vel Quaterniones folia assuebant : pelle vitulina , sive alia plerumque densiore totum operiebant .

Aliud vetustatis indicium erit Att amen-

M

tum

ta erant , quorum contenta præstantiora nonnumquam deprehendebantur , quam illius libri , cui erant indumento . Ut videre eit in Vaticana Bibliotheca , ubi paucis ab hinc annis Cl. Vir atque in perscrutandis , intelligendisque Antiquitatis monumentis eximius Vitus Maria Giovinazi,ut ex datis doctissimis Libris,atque non paucis editis Inscriptionibus Eruditi ad unum fatentur , in Operimento Scripturæ Veteris Testamenti Ineditum invenit Fragmentum , quod ipse ex Stylo, & contextu Historiæ , consentiente , & plaudente Lit. teratorum cœtu, Tito Livio Patavino adiudicavit, cuius Dissertationem hac super re summo plausu a Litteraria Republica excepta, non semel recusa fuit .

De Voluminibus vero loquens Vossius (1) *Capiti* , ait , *Scripturæ , hoc est extimæ Voluminis oræ in aversa parte chartæ agglutinabatur frustum membranæ , quod erat velut operculum , & tegumentum Voluminis : Fiebat hoc non tantum ad muniendam chartæ fragilitatem , sed & ornatus gratia : hæc quippe membrana vel croco vel minio , aut etiam purpura tingebatur : ita ut color interior discreparet a colore exteriore , unde bicolor a Perseo dicitur* .

Aderat etiam , ut ætate hac nostra , membranula

in

(1) Ad Catullum .

Digitized by Googl

tum quo Antiqui Codices scripti sunt : Atramentum ex pilis Capræ crematis, inquit Allatius (1), non æque nigrum, sed subluridum, & fulgore quodam rutescens, quo in membranis scribitur, adeo tenax, & invariabile, ut numquam a primævo statu, nisi membrana fatiscat, deficiat. Item, ut Vitruvius tradit, Atramentum (2) Syllano tempore ex resinæ ignis potestate exustæ fuligine, gummi subacto paratum, atque aliæ Atramentorum præparationes, quibus Veteres utebantur, similem præ se ferunt colorem : At quum ex Montefaucon sciamus (3) Atramentum MSS. græcorum in membranis præsertim non politis, & in codicibus bambacinis Atramentum suum temperatum nigrorem non retinuisse, sed fulvum, & Rutilum instar Minii evasisse, idcirco Argumentum valde dubium

in exteriore parte, ut plurimum purpureo tincta colore, quæ titulum libri aureis literis ostendebat, & Auctoris quandoque nomen, ait Trotz loc. cit. : unde Tibullus (4) inquit

Summaque prætextat tenuis fastigia charta,
Indicet ut nomen littera facta tuum.

(1) Animadvers. ad Monum. Hetrusc. num. LXXIX.
(2) Lib. 7. cap. 10.
(3) Paleograph. græc. Lib. 1. cap. 1.
(4) Lib. 3. eleg. 1.

Digitized by Google

bium erit ad vetuſtatem Codicis arguendam, atque hinc optime Mabillio (1) A Peritorum iudicio rem pendere cenſet.

Imperatores Orientis diu ante Leonem in ſubſcribendis Litteris ſuis purpureo uſi ſunt colore, teſte eodem Mabillonio (2): Quin & Leo Imperator addidit, vim non habere in Iudiciis Reſcripta (3), niſi purpuream haberent Inſcriptionem,

Breviſſime nunc de Literarum Figuris, & variatione Antiquitatem teſtantibus: Mox enim de diverſo characterum genere redibit sermo. De Antiquis loquens Lipſius (4), ait: *Habuit enim Priſca illa & hæc ætas, ut verba quædam propria, ita & ſcribendi peculiarem modum, quæ in Libris antiquis, & reconditis ſincere inventa, quid ni tamquam vetuſta ſigna, aut numos miremur. L pro D ita enim literas commutabant, & T loco S, hinc Dingua, Cadamitas, pro Lingua Calamitas Priſc. Caſſilam pro Caſſida Feſtus: T autem pro S poni docet Ennius Adgettus Fari, id eſt, adgreſſus &c.* Sic sequioribus etiam temporibus Antiquitatem olet Scriptu-

(1) De Re Diplom. Lib. 1.
(2) De Re Dipl. Lib. 1. cap. 10.
(3) Leg. 6. C. de Div. Reſcr.
(4) Antiq. Lect. Lib. 1. per tot, ac præcipue cap. xv.

Digitized by Google

ra, ſi literam A ſine linea media in hunc ferme modum Λ, vel Λ habeat: ſi G pro C Gaput: ſi C pro T Chracio: item ſi quandoque omiſſam habet H ut Omo: quandoque adiectam Hludovicus, Hager K pro C, ut Karus: K pro H, ut Kymnus: S pro X, ut Eſcellens: B pro V, ut ætate Commodi apud Muratori (1) *Furius Berecundus*, & tempore Callixti II. & Honorii II. in anecdotis Verularum Pergamenis (2) *Berulano Epiſcopo*: additam quoque Literam O, ut Ouldaricus: nec non propoſitiones integras ante verba compoſita, ut Inluſtris.

Univerſe vero de Varietate Scripturarum in Italia hæc habet Mabillonius (3): *Romana (quæ vel Uncialibus Literis, vel minutis ima & minutiſſimis (a) conſtabat) obtinuit aureis ſæculis apud Romanos, & Italos, viguitque ad ſæculum V., quo tempore Gothi Italiam ſub iugum ſuum adduxiſſent, & iam Gothicis Literis Romanas*

(a) *Caligulæ Legem*, ait Svetonius (4) *ſcriptam eſſe minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco, ut ne cui deſcribere liceret.*

(1) In Theſaur. pag. 340.
(2) In Tablino Cathedralis Eccl. S. Andreæ.
(3) De Re Diplomatic. Lib. 2. cap. 1. Num. VI.
(4) In Caligula.

Digitized by Google

nas aliquantiſper vitiarunt : tum Sæculo VI. Longobardis in Italiam effuſis , ſucceſſit Longobardica Scriptura ad communem uſum ; Romana illa ſic corrupta in libris deſcribendis aliquandiu viguit , nempe ad Sæculum VIII ,nam poſt id tempus Romana ad ſolos ferme Librorum titulos reſervata eſt , exceptis nonnullis Libris ad pompam deſcriptis in gratiam Principum Perſonarum : Sic ergo Longobardica obtinuit apud Italos ad Sæculum XII., quo ex tempore in politiorem illum modum , ſenſim deducta eſt , quo nunc eſt Romana Recentior . Hæc apud Italos .

Non omittendum hic quod Allatius de Literarum forma refert : *Romanos* , ait , *Literarum forma quamſimillima Græcorum ſcriptitaſſe , quæ nonniſi capitalis eſſe potuit : Ea tamen una , & eadem a quantitate , vel modulo nomen ſortita, modo Maxima a Cicerone , Grandis ab Ovidio Lib. 3. Triſt : Cubitum longa a Plauto in Panulo , & Rudente modo Minuta & Minutiſſima ab eodem Plauto in Bacchide , Seneca Epiſt. 95 modo Rotunda ab aliis , modo Quadrata a Petronio dicta eſt . Quadrata ea vocabatur , quæ arte , & diligentia facta , & membris ſuis commenſurata ſive maxima , ſive minuta eſſet in Inſcriptionibus , quandoque etiam in Libris patebat omnium oculis , ſed ob diſpendia , & impenſas non omnibus obvia : Rotunda autem erat*

Digitized by Google

rion quæ in sphœræ modum obvolverentur a Capitali, & Quadrata diversa, sed quæ ob artis contemptum, & celeriorem scriptionem quasi in globulos, sed non eos perfectos curvabantur, qualis est hodie in antiquissimis Virgilii Codicibus Vaticani 3225. 3877.

§. IV.

Quomodo Varia Scripturæ Ætas Vario Charactere dignoscatur.

HActenus de Antiquæ Scripturæ notis dictum est universe; agendum nunc de variis variorum temporum characteribus usu alias alio. Rem bene longam, nec satis expeditam breviter, & dilucide, quam potero, prosequi conabor. Characteris varietatem præcipuum argumentum esse ad vetusti codicis ætatem stabiliendam docuit Clariss. Montfaucon (1), qui ex Characteris forma novit falsum Codicem Regium 1884. membranaceum, qui Evangelia per annum habet scripta anno 1336, ut in fine conspicitur, de quo, *Characterem* ait, *Undecimi Seculi imitatus est Amanuensis; At ii, qui Codices MSS. evolvere solent vel primo conspectu discrimen internoscunt.*

CA-

(1) Paleograph. pag. 326.

Digitized by Google

CANON I. Si Character sit caste Romanus ad prima quinque sæcula fere pertinebit (a): Contra si Romana Scriptura admixtas habuerit Gothicas, vel Peregrinas alias literas (b) & Romanæ ipsæ Literæ sint Unciales (c), Semiunciales, vel habeat minutas descriptas, codex non erit anterior sæculo V.: id enim temporis linguarum commixtio evenit.

(a) Notandum hic ex Mabillonio Diplomata ante sæculum VIII. raro inveniri Archeotarum incuria, quare ex aliis MSSrum generibus id colligi potest.

(b) Sæculo V. id accidit, hoc scilicet tempore Gothi Italiam devastarunt, & suas quoque literas literis Romanis immixtas voluerunt; Theodoricus namque, Ostrogothorum Rex, cæso Odoacre, solus in Italia regnavit anno a partu Virginis 493.

(c) Romana Scriptura, ut dictum est, prægrandes habuit litteras, quæ Unciales dicebantur, ex quo Uncia [quæ duodecima pars est palmi] mensura erat, ad cuius normam literæ religiose formabantur, ut liquet ex epistola Lupi Abbatis Ferrariensis (1), in qua ipsum rogat ut Schedulam diligenter clausam mittat, in qua mensura sit Literarum Uncialium, quibus Bertcaudus Regius Scriptor utebatur. Apud nonnullos in usu erant maiores quoque his, quas Cubitales, Trabales, & Sexquipedales nominabant, ut extant Codices Evangeliorum, & Codex Theodosianus, nec non Virgilianus Medicæus.

(1) Epist. 5. ad Eginhardum pag. 23. Balut. edit.

Digitized by Google

CANON II. Si Codicem Literis Gothicis (*a*) deformatis, pinguibus ſcilicet, & craſſis ſcriptum repereris, & nulla fere in eo ſit interpunctio, nec verborum nexus: item ſi Litera ſine puncto ſit: ſi loco A ſit λ, & pro M m ω ad Sæculum VI. pertinere cenſent huiuſmodi Artis eruditi.

CANON III. Si Codex Longobardicis ſit characteribus scriptus, atque principaliores eius Literæ aves referant, aliaque Animalia, vel Parerga calami, ſi Litera ſit ſine accentu: ſi n ſit pro u, n pro m: ſi diphtongi æ, œ, ſint seiunctim scriptæ ae, oe ad Sæculum VII. pertinere dicito (*b*).

CANON IV. Si præter principaliores Literas figuris ornatas, interpuncta rara, & aliquan-

(*a*) Literas Gothicas effinxit Ulphila Gothorum Epiſcopus Arianus, ut habet Socrates Lib. 4. Hiſt. Eccles. cap. 22. qui 375. circiter Chriſti anno, ætate Valentiniani, & Valentis vixit: Gothicum Alphabetum triplici Literarum genere conſtat Latino, Græco, & Peregrino.

(*b*) Duplex fuit Longobardica Scriptura Litteraria, & Diplomatica: De prima loquens Gerſon ait (1) *Litera ſit legibilis, ſit punctuata, ſit purgata, qualis eſt Longobardorum, non involvens ſe tractibus ſuperfluis*. Diplomatica vero difficilis eſt intelligentiæ.

(1) De Laud. Script. Conſider. IX.

Digitized by Google

quando tria ſimul ſic ⁘, aut duo puncta in dictionis fine : Literam ſ ſine puncto : Literam ſ oblongam in fine vocis loco s : Literam e loco i : præter diphtongos ſeparatas, & Literarum, nec non syllabarum nexus, ut de Sæculo VII. ſupra diximus, reperies, Intervalla quoque inter voces, immo & inter litteras ipſas, Codex inter Scripturas Sæculi VIII. adnumerandus erit (*a*).

Sæ-

(*a*) Ad prævertendas difficultates, quæ implicare tironum mentem poſſent, quorum in gratiam hunc laborem ſuſcepimus, notandum, non raro diverſos characteres occurrere eadem fere ætate ; ſed loca, & regiones attendere oportet diverſas, quorum aliæ ab aliis gentibus tenebantur : ſic in Hiſpania Gothi, Longobardi in Italia dominabantur, hinc diverſa Scriptura pro Principum diverſitate.

Novimus ex hiſtoria, Longobardos, Alboino Duce, vel Rege Italiæ penetraſſe 568. & Inſubriam Liguriam, ac fere totam ſuperiorem Italiam ſuo imperio ſubegiſſe, quo tempore Gothi in Hiſpaniam relegati, in ea mundi parte dominabantur ; atque ibi in Diplomatibus Gothici characteres in uſu erant ad ſæculum uſque XII. Quum vero a medietate VI. ſæculi ad XII. uſque, Longobardi Italiæ Imperium habuerint, Longobardicis characteribus Scripturas exaratas novimus : plures codices VII. præſertim, & VIII. ſæculi Longobardicis hiſce characteribus ſcriptos teſtatur Cl. Mabillonius, & ſane teſte eodem viro Cl.

ex-

Sæculo VIII., & IX. apponebatur Nomen eius, cuius iussu Diploma scriptum erat, ut iubente Domino Karolo: vel NN. fieri iussit.

Notabatur quoque in Privatis Scripturis nomen Principis, in cuius ditione Scriptura conficeretur, ut dati Temporis veritas constaret, sic in Verulanis Pergamenis, Perg. 73. legitur: *In nomine Domini anno Dominicæ Incarnat.* 1086. *Indict. LX. Regnante Henrico Rex filius Henrici mense Augustus dies octava Bonomo Scrimiarius Civit. Verul.* Perg. 27. *In Nomine Domini Dei æterni anno Dominice Incarnationis* 1087. *Indictione vero X. Regnans Dominus Henricus filius Henrici Imperatoris Mense Iunius dies* 20 . . . *Leo Presbyter filius de Leorici & de Maria habitatore in Civit. Verul.* (donat) *Episcopio S. Andræe Apostoli quod positum est intro in Civit. Verul. in quo nunc existens Dominus Albertum Virum per omnia Ven. Episcopum &c. . . . Iltus Scrimiarius Civit. Verulane.* Perg. 172. *In Nomine Dei eterni anno Dominice Incarnat.* 1087. *Indictione* X. *Regnante Domino Henricus Rex fil. Hen-*

extat Bulla Paschalis II. qui 1099. vixit, ad Monachos Dionysianos, & opuscula Guaiferii in Bibliotheca Cassinensi ab annis circiter sexcentis charactere isthoc scripta.

Digitized by Google

Henrici Regis Menſe November die 8 .... *Silbo Scrimiarius Civit. Verul.*

De induſtria Verulanas ineditas Tabulas produximus, ut nonnulla innueremus, de quibus nullus, quod ſciam, Hiſtoricorum meminit, & quæ nec minimam, nec vulgarem Illuſtriſſimæ Verulanæ Civitati commendationem augent, & decus. Etenim præter inſignem, de qua iure omni gloriatur, antiquitatem Verulana Civitas (*a*): Præter illuſtres, qui extiterunt, doctrina Viros Ioannem Sulpicium (*b*), Victorem Giovardi Seniorem

(*a*) Livius (1), Florus (2), Plinius (3), Frontinus (4), Baronius (5), aliique de ipſa meminerunt.

(*b*) Ioannes Sulpicius in amœnioribus Litteris ſæculi ſui facile Princeps, Scenicæ antiquæ Tragediæ Inſtaurator (6), quem inter litteratos viros recenſet Baillet (7), vixit labente iam Sæculo xv. Edidit 1484. Vitruvii Architecturam emendatam, quam Romæ iterum recudit 1494. Eucharius Silber alias Frank. Anno 1505., atque iterum 1511. Venetiis, Commentarios in Lucanum, Baſileæ 1578. iterum, Litteratis Viris inſtantibus, typis editos. Romæ 1487. Opuſculum

(1) Lib. 9. cap. 42. 43.

(2) Lib. 9 cap. 42. 43. (3) Rer. Rom. Lib. 1. cap. 12. iuxta veriorem Io: Iſaaci Pontani Lectionem.

(4) Hiſt. Nat. Lib. 3. cap. 5.

(5) De Colon. ver. Verul.

(6) An. 1057. In prim. Edit. Vitruvii 1484.

(7) Dict. Hiſt. ver. *Sulpicius*.

Digitized by Google

re (*a*), m Aonium Palearium (*b*), Cæsarem Cref-

culum de Compositione Orationis. Commentariolum in eam Quintiliani partem, quæ de Compositionis ratione inscribitur. Libellum de componendis, atque ornandis epistolis 1539. Lugduni. Romæ 1492. Grammaticam. Grammatices Compendium una cum Donati Opusculo de Figuris, & brevi, ac vera vocum, quæ in toto opere continentur, interpretatione. cui additur alphabetum græcum, hebraicum, nec non Orthographiæ Aldi Manutti compendiolum, Neapoli 1591. Parisiis Præludia Grammatices: Opus de Versuum scansione, seu de Carminibus, cui accessit in Nestorem Recriminatio. Carmen Iuvenile de Moribus in Mensa servandis. Item opusculum de Puerorum Institutione gallice redditum per Petrum Broche, Coloniæ: Quod iterum Parisiis 1580. recusum fuit, addita elucidatione gallico-latina Guillielmi Durandi (1).

(*a*) Eadem tempestate, qua laudatus Sulpicius, floruit quoque Victor Giovardi Senior, qui inter æui illius non vulgares Poetas commendatur, in Opere *de Moribus in Mensa servandis*, quod MSSum in Verulana Bibliotheca habetur, teste. Cl. Domino Ioseph Pellegrini, eiusdem Bibliothecæ Custode, cuius solertiæ, atque peculiari erga nos benevolentiæ quid. quid ex illa Bibliotheca in medium protulimus, ac proferemus deinceps, referimus acceptum.

(*b*) Aonius Palearius vixit sæculo a partu Virginis xvi. publice non sine Litterariæ Reipublicæ laude amæ-

(1) In Verulana Biblioth. Lit. Q. num 26.

Digitized by Google

amæniores diſciplinas, Senis, Lucæ, Mediolani docuit; Ipſum Academiæ Lipſienſis Acta commendant, Quæ ſcripſit opera, in Verulana Bibliotheca extant, ſcilicet: *Aonii Palearii Verulani Epiſtolarum Libri* IIII, *Eiuſdem Orationes* XII., *De Animorum Immortalitate Libri* III. *Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium* 1552. *Ienæ ex officina Buchii* 1728. prælo iterum hoc titulo commiſſa ſunt: *Aonii Palearii Verulani opera: Orationes* XIII. *Actio in Pontifices Romanos, & eorum aſſeclas: Epiſtolarum, & de Immortalitate Animorum Libri, ac Poemata varia Recenſuit, & Diſſertationem de Vita, Fatis, & meritis Aonii Palearii præmiſit Fridericus Andreas Halbaver. Præfatio de Ratione ſtudiorum Mediolani ex Typographia Moſcheniana* 1555. Dialogus inſcriptus: *Il Grammatico, o vero delle falſe eſercitazioni delle Scuole. Venezia Appreſſo Pietro Marcheſan* 1726. *Concetti del Signor Aonio Paleari per imparare inſieme la Grammatica, e la Lingua di Cicerone di nuovo riſtampato con un ſupplemento copioſiſſimo de concetti della Lingua Latina, ed il Dialogo delle falſe eſercitazioni delle Scuole. Venezia per Franceſco Franceſchini* 1567. Eiuſdem nonnullas alias adhuc ineditas dedit nuper in lucem epiſtolas Vir omnigenæ litteraturæ genere Clariſſimus Petrus Lazari (1), quas aſſervatas norat in Romani Collegii Bibliotheca.

Illud hic innuere nobis liceat Decipi ſcilicet eos, qui autumant, Aonii Orationem *Pro Seipſo* typis vulgatam non fuiſſe, quum reipſa cæſis, abſtractiſque præcedentibus ultima eius pagella extat in editione habita Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium 1552. Quin & integra ipſa legitur in Ienenſi editione 1728. ex officina Bu-

(1) Miſcell. ex MSS. Lib. Bibliot. Colleg. Romani Vol. I. pag. 184.

Digitized by Google

Creſcentium de Angelis (a): Præter eos, qui ætate etiam hac noſtra (b) florent, præclarum Buchii, eaque tertia eſt ordine (1): ubi hæc habentur: *Pro Seipſo. Ad Patres Conſcriptos Reip. Senenſis*, cuius initium eſt: *Quum ſuperioribus annis P. C. is de me ſermo eſſet &c.* Finis vero: *Hic, hic dies P.C. declarabit qui ſint ſenſus animorum veſtrorum.*

Aonius hic ingenio, & Litteratorum hominum plauſu elatus e Rhetoricæ ſubſellio, ad Theologicam Cathedram temere aſcendens, in plures incidit contra Religionem errores, quibus ad Laquei ſupplicium, & Ignis ab Eminentiſſimis Pacecco, & Gambara, aliiſque Sacræ Inquiſitionis Iudicibus damnatus Romæ 5. Non. Oct. 1579., ſuos, non ſine lacrimis, errores deteſtatus in Catholicæ Religionis ſinu laqueo Exanimatus, flammiſque iectus, ſupremum miſerrime obiit diem.

(a) Cæſar Creſcentius de Angelis a Doctrina, & Prudentia Illuſtris, ſacris ornatus Infulis, ab Apoſtolica Sede ad plenum aleæ opus in Corſicæ Inſula expediendum electus, tanta dexteritate, ac Sapientia, creditum ſibi negotium confecit, tranſegitque, ut ſummo plauſu inde Ipſum Roma redeuntem exceperit.

(b) Ingrati animi crimen, quod ſemper horrui, ne dum incurioſi notam ſubire mihi videar apud Litterariam Rempublicam, ſi tacitus hic præteream Victoris Giovardi Ampliſſimi Mecænatis noſtri Opus, egregium feliciter abſolutum, typis iamdiu expetitum, ac debitum, Exactiſſimam iuxta, atque elegantiſſimam dico Hernicorum, ac Verulanæ præſertim

(1) In Verul. Biblioth. inter prohibit.

Digitized by Google

rum ſibi nomen comparavit, atque æternæ ſe commendavit memoriæ ob Intemeratam erga Verum Romanum Pontificem Religionem, ob Inviolatam erga Legitimum Principem in ſummo rerum diſcrimine Fidem. Quippe nec Giberto de Corrigia, qui Clemens III. nominatus

tim Civitatis Hiſtoriam, ab eruditione intima, ab acri Iudicio, ab ineditis huc uſque monumentis ad ſeverioris Criticæ Artis Leges diligenter, addo etiam Religioſe, deductam. Opus merito a Litteratis Viris multo iam tempore exoptatum, & a Verulanis præſertim civibus iure quodam ſuo flagitatum: Sed Auctoris Clariſſimi verecundia lucem adhuc publicam tanto operi denegat, Litteratorum uſitato iam more, qui ſæpenumero nodum quærentes in ſcirpo, hærent, cunctantur, perpoliunt, nec moras rumpunt, ut de ſeipſo Plinius (1) fatetur, idem aſſerens de Svetonio Tranquillo (2), verentes nimirum, ne quid excidat minus dignum; at liceat mihi, audentius fortaſſe, quam par eſt, ipſiuſmet Plinii ad eumdem Tranquillum verbis, Mecænatem alloqui meum, atque urgere (3) *Opus perfectum, abſolutumque eſt, nec iam ſplenaeſcit lima, ſed atteritur*. Quare omnium votis, ſed Civium præſertim tuorum obſequere, & ingenii, doctrinæque monumentum ære perennius, publica luce aliquando tandem impertire. Gaudebit profecto Litterata Reſpnblica gemino Giovardo, quorum uterque Victoris nomine inſignis; Alter Poeticam Facultatem, Alter Hiſtoricam illuſtravit.

(1) Epiſtol. Lib. 5. epiſt. 11.

(2) Ibidem, (3) Ibidem.

Digitized by Google

natus Petri Cathedram invaſerat (*a*), nec Henrico IV. qui a falſo Clemente Imperii coronam acceperat (*b*), adhæſit. Nulla enim Tabularum nomen habet Clementis III. ab Henrico VI, & armis in Pontificium solium invecti, Nulla Imperatoris titulum Henrico IV. adiectum. Quod autem nec Victoris III. nec Urbani II. nomen in ipſis notatum inſpiciatur, mirum nemini erit, ſi ad furentis Henrici arma, quæ in ſe fruſtra Verulani Cives incitaſſent, animum adiiciat. Eorum Fidem, ac Religionem agnovit Urba-

(*a*) *Clemens III.*, ait Cl. M. Alphonſus Ciacconius (1), *Parmenſis Gibertus de Corrigia antea vocatus, Archiepiſcopus Ravennas ab Alexandro II. factus, olim Imperatoris Henrici IV. Cancellarius, & eo Auctore in Schiſmate Romanus Antipapa creatus contra Gregorium VII. Victorem III. & Paſchalem II. eo Imp. ſedit annos* 21., *Menſes, & dies aliquot creatus Brixini in Noricis a* 30. *Epiſcopis Schiſmaticis, Auctore Henrico IV. Imperatore* 7. *Kal. Iunii. Fer.* II. *Indict. III, coronatus Romæ ad S. Petrum* 9. *Kal. April. Dom. Palmarum anno* 1084.

(*b*) *Octavo die, qui Reſurrectionis illuxit*, (ſubdit laudatus Ciacconius hic, (2) anno 1084. Conſecrationis Clementis) *Se Imperatorem ab eo iuſſit iungi, & cum coniuge ſua Berta in Vaticano de more coronari.*

(1) In Vit. & Reb. geſt. Pontific. in Vita Victoris III.

(2) Ibidem.

Digitized by Google

banus II., qui Petri claves a Victore III. habuit, quique Pontificio Diplomate omnia Iura, atque Bona asseruit Alberto tunc Verularum Episcopo: quod sane facturus non erat, si falsi Clementis, atque Henrici partes Ipsum, atque Cives Verulanos tenuisse, atque tenere cognovisset: Vel saltem non firmare, sed ad amissum ex patrato læsæ Pontificiæ Maiestatis crimine ius Restituere debuisset.

Una inter tot, quæ extant, Tabula Nomen habet Clementis III., atque ea est, qua Ioannes Orrita domum quamdam Archicanonico, ut ibi legitur, S Erasmi donat, ubi hæc habentur: *Anno Dominice Incarnat.* 1087. *Indictione vero X. Regnante Domnus Henricus filius Henrici Imperatoris & anno IV. Domni Clementis III. Pape Mense Martius dies* 16... *Iltus Scrimiarius Civit. Verul.*

At supposititiam hanc censet Pergamenam Cl. Mellonii; quippe datum in laudata Pergamena Tempus cum Historia non cohærere animadvertit acute. Etenim salutatus Gibertus fuit Pontifex Brixini in Noricis die vicesima quinta Iunii 1080: quare ab Electionis die ad decimam sextam Martii (Tempus in Tabula signatum), non IV., sed VII. suæ invasionis annum Iltus notare debuisset. Con-

ſecratus dein, & nomen Clementis III. ipſi impoſitum fuit die 22 Martii 1084: quarepe, decimam ſextam Martii diem anni 1087. non IV., ſed III. Pontificatus annus debuiſſet ſignari.

Verum decipi facile potuit, ſubdit Auctor idem, Iltus Notarius, & cum ipſo S. Eraſmi Archicanonicus, putantes vi intruſum Gibertum Populorum, & tacito Cleri aſſenſu legitimum evaſiſſe Paſtorem. A Gregorio enim VII. ad præſtitum a Deſiderio aſſenſum biennio Catholica Eccleſia ſuo manſit Viduata Paſtore. Ter quippe firme, conſtanterque ſuæ reſtitit electioni Deſiderius (*a*), & perbrevi tem-

(*a*) *Cardinales, atque Epiſcopi omnes in unum Deſiderium conſenſerunt*, verba ſunt Ciacconii., *quorum Ille repudiato indicio ad Monaſterium ſe contulit ..... Deſiderium uno conſenſu prehenderunt, & ad ædem S. Luciæ perduxerunt, & rite electum, ac Victoris III. nomine affectum chlamyde coccinea exornarunt: albam enim non potuerunt renitenti imponere: poſt quatriduum Victor Roma egreſſus Ardeam, & Tarracinam adiit, ibique Pontificem eſſe nolle profeſſus, Crucem, Chlamydem, & cætera Pontificia ornamenta depoſuit, & Caſſinum reverſus, neque a Iordane, neque ab Epiſcopis, aut Cardinalibus ulla ratione Romam reduci potuit .... Conventus Capuæ actus eſt per Quadrageſimam anno 1087: Eo peracto repente Clerici, & Laici omnes novis illum ſol-*

tempore, teſte Leone Oſtienſi (a), rexit Eccleſiam. Suas habet veritatis notas coniectura iſthæc, tum quod licet Pontificem legitimum agnoviſſe Clementem videatur Iltus 1087: Imperatorem tamen non agnovit Henricum, qui Coronam a falſo Pontifice acceperat, quippe licet Pontificem dicat Clementem, eiuſque Pontificatus annis tempus notet, Henricum tamen non dicit Imperatorem: tum quod ſuo detecto errore Tabulas alias, quas eodem anno 1087., ſequentibus menſibus Iunii ſcilicet, & Novembris confectas nec ipſe, nec ullus Verulanæ Civitatis Notarius Clementis III. nomine conſignavit.

Canon V. Ad dimidium ſæculi V. referri debet Codex Anglo-Saxonico charactere ſcriptus; Brittanni enim bello cum Scotis,

ſollicitare precibus inſtiterunt, ut Pontificiam dignitatem reſumeret, quos quum per biduum ſprevisſet, demum Duce, Principe, Epiſcopis, & Cardinalibus ad pedes eius obſecrandi cauſa procumbentibus ceſſit, ac XII. *Kal: Aprilis ſuperiora Comitia, Cruce, & Chlamyde reſumpta, confirmavit. Paſchate deinde Caſſini celebrato, cum Capuano, & Salernitano Principibus ad Urbem progreſſus extra Porticum S. Petri conſedit.*

(a) *In Sede Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio annum unum: A Conſecratione Menſes quatuor, & dies ſeptem.* Cap. 72.

Digitized by Google

Hibernis, aliisque populis gerentes Germanorum opem implorarunt, atque hostes domuerunt: pulsis paullo post Brittannis ipsis, regno potiti sunt anno 455. Floruit usque ad Guilielmum Conquestorem anno 1066, posthac omisso Anglico charactere exceptus est Gallicus.

Canon VI. Scriptura Germanica, si Gothicum habeat permixtum characterem, sæculo V. tribuitur (a); a sæculo VI. Saxonicæ erant literæ, a sæculo IX. Gallo Francicæ: paullatim ad latinas literas literarum figuræ redierunt, circa dimidium XVI. Sæculi ad elegantem quamdam formam pervenere.

Canon VII Scriptura Franco-Gallica initium habuit sub Merovingica stirpe Sæculo VI. usque ad Sæculum IX. (b). Antiquiores Francicæ Scripturæ sub prima stirpe Merovingica plenæ sunt syllabarum, ac litterarum perpe-

tuis

(a) Germanicus Character a sæculo IV. græco characteri non erat multum absimilis, antea vero peculiaris erat.

(b) Etsi Franci in Galliam venerint anno 419., & 428. sub prima Regum stirpe Merovingica; sub Clodoveo tamen tertio, ut volunt, a Meroveo Rege Franciæ gens principatum ubique Galliarum obtinuit; ab ea ætate ad dimidium sæculi VII. vetus Scriptura Romana apud ipsos in usu fuit.

Digitized by Google

tuis nexibus, lacunis, nec non orthographiæ erroribus, ac rudes; utque Mabillonius lib. v. exhibet, solæciſmis ſcatent, ac barbariſmis.

Canon VIII. Diplomata ſub ſtirpe Carolingica fuere a sæculo IX. ad XI. uſque Franco-gallico charactere; in iis conſcribendis manum tremulam fuiſſe apparet (*a*), diphtongos ſeparatas vel caudatas &c. Literam r nudam, Literam K pro C Karolus: interpuncta rara: literarum nexus plures, quam prioribus sæculis; Literas implexas, & nimis propinquas præ ſe ferunt; atque hæc sæculo IX. præcipue.

Canon IX. Diplomata ſub Capetingica familia ab XI. ad XV. uſque Sæculum fuere (*b*).

Canon X. Seculo X. tribuuntur Codices, quorum maiores aliquæ literæ ſunt Gothicæ, et Gallicæ veteres, ſcriptio Craſſior: littera r nuda: littera ſ oblonga in fine vocis: m & n expreſſa per lineolam ſupra: q pro que: ꝯ pro

(*a*) Character Franco-gallicus pro temporum varietate varius fuit, ætate ſtirpis Merovingicæ minutior ſcriptura in publicis inſtrumentis adhibebatur, licet in vetuſtis huius ætatis Romana maior occurrat. Caroli Magni tempeſtate in elegantiorem formam apparuit. Regibus Carolinis Romanus character maior in priſtinam aureæ ætatis formam rediit.

(*b*) Sub Capetiorum principatu circa 987. Romana etiam Scriptura minutior haberi cæpit.

Digitized by Google

us legimꝰ: nexus multi, nec non abbreviationes, ut ꝓ pro tibi: m̃ pro mihi: (a). Punctum unum poſt ſententiam.

CANON XI. Tribuitur ſæculo XI. Codex habens ſequentes notas, ſi ſcilicet literæ ſint pingues, ſi habeant anſulas, & hamulos: ſi interpunctionibus abundet, ſed ſine ordine: ſi habeat etiam Comma, & Semicolon: ſi abbreviationes habeat multas, ſigniſ ut plurimum ſupra poſitis, ut dr̃, dicitur: scd⁹ ſecunda X^um Chriſtum, rō̃ ratio: Ix̄ iuſſus: o pro littera u ocolus: u modo quadratum, modo cuſpidatum v.

CANON XII. Tenuiores, nitidioreſque characteres habuit ſæculum XII; abbreviationes frequentes cum literis ſupra voces, ut tamq̃: loco ae vel ſimplicem e, vel caudatum ę: litteram i aliquoties cum accentu acuto í. literam s loco longioris ſ in fine vocis. CA-

(a) Notas Tyronis (ipſum eas excogitaſſe ferunt, Senecam vero auxiſſe) quæ quandoque in diplomatibus occurrunt, in lucem edidere Iſidorus (1) Grutebus (2) Lipſius, Mabillonius, nec non Ioannes Ludolphus Waltherus, qui Lexicon diplomaticum Gottingæ edidit anno 1745. a nativitate Domini.

(1) Lib. 3. de Etymol. c. 11.

(2) In Inſcrip. ad finem.

Digitized by Google

CANON XIII. Literæ minores inter ſe implicatæ, & ut plurimum minutiſſimæ: Abbreviationes quamplurimæ: cum ſignis ſupra voces: littera n loco u: necnon voces unico puncto diſtinctæ ſcripturam ad sæculum XIII. pertinere indicant: diſtinguitur vero huius sæculi Scriptura ab accentu acuto ſupra *i*, raro antehac uſurpato.

CANON XIV. Scriptionem rudem, necnon syllabas vocum inter ſe diſiunctas, voces contra mixtas inter ſe: abbreviationes innumeras, implicataſque: atramentum pallidum: diphtongos, ae vel oe coniunctis literis æ œ, vel ę caudato, frequentes interpunctiones uno, vel duobus punctis: litteram ì cum accentu XIV. Sæculi Scriptores adhibuerunt.

CANON XV. Si Codex Minutas habeat Literas, vel Obtuſas, ac ductibus implicatas, abbreviationeſque multas, & diſtinctiones per unum, aut duplex Punctum, characteres præſefert Sæculi XV. Præter hæc, duo ſunt huiuſ ſæculi magis propria, Parvum *s* reiecto *ſ* oblongo in fine vocis, & Punctum ſupra i.

CANON XVI. Sæculo XVI. acceptam refert Litteraria Reſpublica elegantem Literarum formam: aptam ſignorum diſtinctionem, Comma ſcilicet, Semicolon, Punctum, Duo

Digitized by Google

puncta orthographice posita, licet id ipsum non constanter, sed pro scribentium peritia.

§. V.

Quæ Notæ quam Scripturæ Ætatem indicent, ac præsertim de interpunctione Ætatis Codicem Indicante.

CANON I. ALiqualis antiquæ ætatis nota est Clausula illa: *Explicit Liber*: *Explicit Liber feliciter*: *Explicitum Opus*: hisce enim formulis Antiqui plerumque Codices consignabantur.

CANON II. Si Codices non sint Opistographi; seu Rescripti (*a*), ut Montfauconio (1) dicuntur, ex utraque scilicet parte scripti; id enim Antiquorum Codicum solemne fuit: tum quia in Voluminis formam complicati legi ab exteriori parte, quæ patebat, potuissent: tum quia Charta Nilotica, ex qua con-

sta-

(*a*) De his vide Knittellium (2) & Ioannem Augustum Ernestum (3). Iulio Cæsari tribuunt aliqui Opistographarum Scripturarum initium ex Svetonio. (4)

(1) In Paleographia.
(2) Ad fragmenta Vlphilæ.
(3) In Archeologia Litteraria.
(4) Lib. 35. cap. 6.

Digitized by Googl

ſtabant, ſcripturam utrimque nequaquam tolerabat.

CANON III. Si Obelos, ſive Obeliſcos (*a*) Aſteriſcos, Lemniſcos, Sublemniſcos in Codice aliquo invenias, illum inter Veteres Scripturas adſcribe. Huius generis eſſe opus Septuaginta Interpretum Origenis autumant Eruditi. *Huiuſmodi Codicem* inquit Petrus Burmannus (1) *veneranda antiquitate inſignem Codicem, qui ante bis mille annos scriptus dicitur, vidiſſe me memini in locupletiſſima illa Leidenſi Aca-*

(*a*) Signis hiſce quid additum, quid omiſſum ſit, Lectoribus indicatur; ſcribit Hieronymus (2)

Obelo, vel Obeliſco utebantur Auctores, quum aliquid adiectum notabant: Aſteriſco, quum quid omiſſum indicabant: L litera, quum quid laudabant. Græci per ☧ vel ☧ρ excerpendis addebant, ut ☧ notabant, quæ commendarent, ut habet Petrus Burmannus ad Valois Crit. loc. infr. cit.

De Notis hiſce videſis Caſaubon. ad Athenæum (3) & ad Diogenem Laertium (4), Menagium (5), Voſſium (6), Tretzium (7)

(1) In Not. ad Henric. Valeſium Lib. 1. Criticæ cap. XXIV. adnot. 1.

(2) Epiſt. ad Pammachium de optim. gen. interpr.

(3) Lib. 7. cap. VIII. (4) Lib. III.

(5) Pag. 96. (6) Lib. 1. de Art. Grammat. cap. 6.

(7) In Notis ad Herman. Hugo de prima ſcribendi origine pag. 276.

Digitized by Google

Academiæ Bibliothecæ, qui priores veteris Testamenti Libros continebat scriptos literis græcis capitalibus in antiquissima membrana, in cuius margine passim tales Asteriſci, Lemniſci, & Obeliſci conſpiciuntur ad, cripti manu ipſius, ut creditur, Origenis: ut in Catalog Bibl. Leid. pag 395.

Interpuncta, ut vocat Tullius, ſunt ſigna quædam, quibus Scriptio in partes diſtinguitur. Non omnis diſtinguendi Scripturas modus Antiquis ignotus fuit, tum quia Ariſtoteles ait (1), *Scripturam Heraclitii* (a) *interpun-*

(a) Non vulgaris inter Criticos eſt Controverſia, ut ſupra innuimus, de ætate, & Auctore primo diſtinctionum. Ioannes Clericus (2) ad Ariſtotelis tempora inventionem hanc refert, atque id ex eo, quod hic Rhetor. lib. 3. cap. 5. dicat: *Omnino autem oportet facile legi, & proferri poſſe, quod ſcriptum eſt: eſt vero huiusmodi, quod multas coniunctiones non continent, & quod non facile eſt interpungere, ut ſcripta Heraclitii: Nam ſcripta Heraclitii interpungere operoſum eſt, quia incertum utri vox eſt coniungenda an priori, an vero poſteriori.*

Salmaſius (3) Artem interpungendi Ariſtophani, qui Olympiade CXLV. ſub Rege Ægypti Ptolomæo Epiphane vixit, attribuit. Hic namque primus προσῳδίαν excogitaſſe, & accentus inveniſſe fertur.

Suidas

(1) Rhetoric. Lib. 3. cap. 5.
(2) Part. 3. Art. Critic. Sect. 1. cap. 10. §. 20.
(3) Epiſt. 183. Ad Sarravium.

Digitized by Google

pungere operoſum eſt, quia incertum utri vox con-
iun-

Svidas (1) cenſet Nicanorem Grammaticum Alexandrinum, qui tempeſtate Hadriani Cæſaris floruit, de interpunctis apud Homerum, & Callimachum egiſſe, atque ob datam tractationem Στιγματίαν, hoc eſt, Notis Compunctum, irriſionis cauſſa, a quibuſdam dictum eſſe.

Iuſtus Lipſius vero (2), cui & Muretus conſentit, & Contius (3) nec non Trotzius (4) mordicus id negant, additque Laudatus Lipſius, quod puncta ſolitaria non membra, aut ſenſus, ſed verba ſingula ſecernebant: Quod firmat Notis in Senecam.

Hiſce tamen non obſtantibus, non dubitat Clericus contra Lipſium, Dauſquium, alioſque affirmare ætate Ciceronis notas huiuſmodi diſtinctionum fuiſſe adhibitas; ex eo ad id affirmandum ducitur, quod Tullius 3. de Orat. cap. 46. ſcribat: *Clauſulas, atque Interpuncta verborum animæ, atque intercluſio, atque anguſtias ſpiritus attulerunt.* & cap. 44. *Verſus Veteres illi in hac ſoluta Oratione propemodum, hoc eſt, numeros quoſdam adhibendos nobis eſſe putaverunt. Interſpirationis enim, non defatigationis noſtræ, neque Librariorum notis, ſed verborum, & ſententiarum modo interpunctas clauſulas in Orationibus eſſe voluerunt.* Item in Orat. Pro Murena cap. XI. ubi de Iuriſprudentia loqui-

(1) Voce Νικάνωρ.

(2) Epiſt. ad Hubertum Audeiantium, quæ extat in epiſt. Miſcell. Cent. III. epiſt. 39.

(3) Præfat. ad Lector. In Pandectas.

(4) In Notis ad Hermannum Hugo.

Digitized by Google

iungenda an priori , an posteriori . & Tullius (1) inducit Crassum sic loquentem ; *Non Libra-*

quitur : *Primum dignitas , ait , in tam tenui scientiæ quæ potest esse ? Res enim sunt parvæ prope in singulis literis , atque interpunctionibus verborum occupatæ* . Item Seneca Epist. 5. Lib. 5. improbans Haterii Oratoris recitandi modum , qui continuo dicendi cursu , unicoque spiritu dicebat , ait : *Nos etiam quum scribimus interpungere solemus* . [Quæ Lipsius , & Muretus ad puncta finalia referunt] Tandem de Probo [eiusdem ac Seneca ætatis] ait Svetonius de Illust. Grammat. cap. 24. in Vita Valerii Probi , *Multaque exemplaria contracta emendare , ac distinguere , & adnotare curavit* .

Accurate de distinctionum signis egere Diomedes(2) de quo vide Fabricium (3) , Montfaucon (4) , Ælius Donatus (5), Struius (6),Claudius Dausquius (7), Attilius Fortunatianus (8) , De Ludewig (9) , Brencamannus (10) , Omnium vero absolutissime Erycius Puteanus (11) , Allatius (12) .

In

(1) De Orat. Lib. 3. (2) Lib. 2.
(3) In Biblioth. Lat. Lib. 4. cap. 7. tom. 2.
(4) Paleograph. Lib. 1. cap. 4.
(5) In cap. de Posituris .
(6) In Actis Literar. fascicul. 1. De Criter. MSS . §. 29. (7) In Ortograph. tom. 4.
(8) In arte de Colo , & Commate .
(9) In Vita Iustiniani cap. IV. §. XI. in uot.
(10) In Hist. Pandect. cap. 4.
(11) In Facula distinctionum .
(12) Animad. Etrusc. Num XLVII.

Digitized by Google

Librariorum notis, ſed verborum, & ſententiarum

In hac Eruditorum controverſia tria incontroverſa eſſe videntur: Primum, non S. Hieronymum interpunctis primo uſum eſſe, ut innuere videtur Caſſiodorius (1) ubi ait: *Meminiſſe autem debemus memoratam Hieronymum omnem translationem ſuam in auctoritate divina propter ſimplicitatem Fratrum colis, & commatibus ordinaſſe, ut qui diſtinctionem ſæcularium litterarum comprehendere minime potuerunt, hoc remedio ſuffulti inculpabiliter pronunciarent ſacratiſſimas Lectiones.* Quum ex Hieronymo ipſo (2) noverimus opera Demoſthenis, & Tullii iam interpuncta fuiſſe: *Nemo*, inquit ipſe, *quum Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud Hebræos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis, & operibus Salomonis: Sed quod in Demoſthene, & Tullio ſolet fieri, ut per Cola ſcribantur, & Commata, qui utique proſa, & non verſibus conſcripſerunt, Nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo ſcribendi genere diſtinximus.*

Alterum eſt, Ad ætate Caſſiodorii ad Carolum Magnum uſque diſtinctionum ſigna, teſte Mabillonio (3) ut plurimum tum in Libris, tum in Diplomatibus neglecta fuiſſe.

Tertium tandem pro temporum diverſitate diverſa fuiſſe ſigna, quibas diſtinctiones indicarentur. *Interpuncta*, inquit Leo Allatius (4) *nonniſi Puncta alio, atque*

(1) De Divinis Lectionibus cap. 12.
(2) Præfat. in Transl. Eſaiæ.
(3) De Re Diplom. Lib. II. cap. XI.
(4) In Animadv. Etruſc. Num. XLVIII.

Digitized by Google

rum modo interpunctas clauſulas in orationibus Ve-

atque alio modo poſita diverſa a noſtra diſtinctione fuerunt, Punctum enim idem mayebat, ſed locis variabat, ut ex Laſcari, cui adamuſſim conſentit Iſidorus Lib. 1. cap. 19., nec diſſentit Diomedes Lib. 2. Similia repetit Donatus & in Donatum Sergius, igitur ait, Diſtinctio eſt Punctum appoſitum ad caput literæ plenæ ſententiæ: Subdiſtinctio Punctum appoſitum ad imam partem ſemiplenæ Orationis; Media diſtinctio Punctum appoſitum mediæ ſententiæ ſuſpenſæ propter reſpirationem.

Sergius idem in Donati primam editionem ait „ Diaſtole eſt nota contraria Hiphen: hac enim nota, vitioſe iuncta ſeparamus, & ponitur ad imam partem litteræ. „

Figura illius, ut monet Scaliger (1), erat virgula perpendicularis, ne tamen acciperetur pro vocali i, curvam pinxere, cuius cornua præcedentem connectendo dictionem præſcribebant ei notas quaſdam, Verumtamen quum Diomedes, Priſcianus, Donatus, & Maximus Victorinus aſſerant Diaſtolem eſſe dexteram partem circuli ad imam literam, eam, nonnulli, ait laudatus Allatius, diſiunctioni, quam in ſcholis hodie virgulam vocamus, ſimilem fecerunt hac nota,

Lipſius notam eius ait, (2) fuiſſe dexteram partem circuli ad imas literas Depoſitam ſic, C ne legeretur itaque *Vrſus* in carmine *in littore conſpicitur ſus*, voci *ſus* præponebant diſiunctionem.

Theo-

(1) De Cauſſis Ling. Latin. Lib. 2. cap. 57.
(2) De Rect. Pronunc. Ling. Latin. cap. 17.

Digitized by Google

Veteres esse voluerunt. Ex his indicia aliqua hauriemus cognoscendi Scripturarum antiquitatem.

CANON IV. Si nulla sit nec Vocum, nec Periodorum distinctio, Antiquissima habenda erit Scriptura, cuius tamen vix extat vestigium.

CANON V. Si post singulas voces singula sint apposita Puncta, Scripturam indicat valde etiam antiquam.

CANON VI. Nec recens erit si Puncta modo superiorem, modo imam literarum partem occupent, vel si virgulam perpendicularem habeant, vel dextram circuli partem. (Vide quæ ex Scaligero, & Vossio modo adnotavimus.)

CANON VII. Antiquitatem etiam præsefert Scriptura, si sententias integras punctis distinctas habeat: in familiaribus præsertim, & minutis scripturis. CA-

Theodorus Gaza (1) ἡδὲ πρὸ διασχολὴ διαίρεσις χάρτις δυοῖν · Subdivisio vero contra dissolutio quædam est duorum, affert exemplum ὅς τις. Plura huiusce rei exempla comperies apud Eustathium (2). Tandem postremis temporibus illa puncti superioris nota non absolutæ sententiæ locum occupavit.

(1) Isag. Gram. Lib. 3.

(2) In Iliad. γ. pag. 701. & alibi.

Digitized by Google

CANON VIII. In maioribus Gothicis, Longobardicis, & Franco-gallicis ad Sæculum IX. uſque nulla fuit interpungendi cura, ſi quoſdam ſacros Codices excipias.

CANON IX. In Scripturis X. XI. XII. XIII. Sæculi Unum fere punctum poſt abſolutam ſententiam reperies.

CANON X. Sæculum XIV., & XV. Duo puncta, ubi plenus non eſt, & perfectus orationis ſenſus: punctum ubi perfecta, ac completa oratio: in quibuſdam etiam exemplaribus loco commatis obelum etiam, ſeu virgulam obſervavimus, ut in præfatione Ambroſii Calepini ad eius Dictionarium editum Venetiis MDVI. per Simonem Leure. Sequentibus vero ſæculis, ut in præſenti.

§. VI.

Synopſis eorum, quæ habenda præ oculis ſunt in perquirenda Veterum MSS. ætate: nec non Canones ad Iudicium de iis rite ferendum.

CANON I. PRobe inſpicienda, atque examinanda ſunt Scripturarum Alphabeta, & Characteres: Idque ex pluribus collatis Codicibus præſtare oportet.

CA-

Digitized by Google

CANON II. Vocales, atque Diphtongi ſedulo attendendæ: diverſi literas abbreviandi modi, nexuſque verborum varii diligenter inſpicendi.

CANON III. Oportet etiam Literarum ductus, & parerga in Literis, atque diverſum interpungendi modum animadvertere.

CANON IV. Adhuc num voces nimis coniunctæ ſint, vel nimis diſiunctæ penitius inquirendum.

CANON V. In Diplomatum, atque aliorum Veterum MSSrum ſinceritate, atque ætate ſtatuenda non facile aliorum iudicio acquieſcendum, ſed rem univerſam per ſe intelligat, qui laudem ab Arte Critica ſibi optat comparare.

CANON VI. Caute incedendum in MSSrum Veterum emendatione, ne corrigendi libidine depraventur potius, quam emendentur: quem modum in pluribus M. Tullii, aliorumque venerandæ antiquitatis Auctoribus factitatum novimus a nonnullis ad penitioris intelligentiæ famam ſcilicet colligendum. Multa reperies huius rei exempla apud Muretum in Variis Lectionibus, Lipſium in Electis, aliosque.

CANON VII. Non ex una Scriptura, & Charactere, ſed ex omnibus aliis circumſtantiis

Digitized by Google

de Codicis Veritate, atque Antiquitate eſt decernendum.

CANON VIII. Quæ obſcura ſunt, aut legi vix poſſunt ex antecedentibus, & conſequentibus ſententiis ſunt interpretanda.

CANON IX. Ex uno, alterove Codice, cui annorum numerus eſt inſcriptus, aliorum ſimili ſcribendi forma exaratorum ætatem, qua de quæritur, inferre licet.

CANON X. Unus, aut alter error non ad Subſtantiam pertinens (*a*) Diplomatis Veritati, ſi cætera conſonent, non officit.

CANON XI. Additamenta Incarnationis, Indictionis, ſi forte deſint, Diploma falſum non indicant; poſſent enim ad eam referri ætatem, qua non dum quidem invaluerat.

CA-

(*a*) Errorem ad Subſtantiam pertinere putamus, ſi ii, quorum de nominibus meminerunt Codices, diu poſt, vel longe antea vixerint: Si Antecedentes, & Conſequentes ſententiæ non ſibi conſtent: Si Monogrammata inepta: ſi Sigilla adulterata, vel ſimile quid, quod ab eorum Temporum uſu abhorreat.

Ut Pontificia diplomata vera ſint & genuina, ſex iſta hoc carmine comprehenſa ex gloſſa (1) inſpici debent.

Forma, Stylus, Filum, Membrana, Litura, Sigillum.

(1) Cap. *Licet* de Crimine Falſi.

Digitized by Google

CANON XII. Si Tempora Acti, & Dati Diplomatis non cohæreant, non ideo Suppositicium erit. Actum quippe notat Tempus, quo conceſſum, & quo mentem ſuam expreſſit Princeps: Datum Tempus, quo Diploma exaratum, & conſignatum fuerit: Poterat enim in Galliis concedi, ubi forte tunc Temporis Princeps erat, Conſcribi, & Conſignari in Italia, ubi eo tempore morabatur.

CAPUT VIII.

De communi Hominum conſenſu.

MAnifeſtus, Conſtans, & Conſulto præſtitus omnium hominum conſenſus eſt indicium veritatis certum: Nam recte Tullius: *Neminem omnes, & nemo unquam omnes fefellit.* Et Seneca: *Apud nos veritatis argumentum eſt aliquid omnibus videri.* Si enim eamdem in ſententiam omnes perpetuo conſentiant, neceſſe eſt, illam una ſui propoſitione ſeipſam adeo probare, & ſpecimen veritatis præferre adeo clarum, ut mens rite diſpoſita eam reſpuere minime poſſit.

Quare non iniuria ſummæ temeritatis, atque audaciæ culpatur Thomas Hobbes, qui

Digitized by Google

contra unanimem Geometrarum consensum contendit, concedendam esse magnitudinem Puncto, Latitudinem Lineæ, Profunditatem Superficiei geometricæ; aliasque damnat a Geometris constanter admissas definitiones: atque aliter sentiendum statuit de Linea Recta, de Terminis superficierum, de superficie Plana, de Angulo Ut falsam reiicit doctrinam de Proportionibus: Propositionem decimam sextam Libri tertii, aliasque, ac præcipue 47. lib. 1., & non pauca his similia habet in libro inscripto: *De principiis, & Ratiocinatione Geometrarum contra fastum Professorum Geometriæ*: *Auctore Thoma Hobbes*. Ubi aperte, atque adstanter nimis hæc habet *Eorum qui de iis rebus mecum aliquid ediderunt, aut solus insanio Ego, aut solus non insanio: Tertium enim non est, quod dicat, fortasse aliquis, insaniamus omnes* (a) Atque hæc omnia contra communem Geometrarum sensum ea propter effutit, quod si, quæ alii Geometræ docuerunt, admittenda essent, eius de-

(a) In Thomam Hobbes edidit Cl. Vallis Librum inscriptum: *Considerazioni del Dottor Vallis sopra il libro de Principiis, & Ratiocinatione di Tommaso Hobbes*. Legi etiam potest Liber inscriptus Hobbes Heautontimorumenus, ubi eius demonstratio de Quadratura Circuli refellitur.

Digitized by Google

demonſtrationes, ac præcipue de Circuli Quadratura nequaquam congruerent.

Aperti quoque mendacii redarguuntur David de Rhodone (1), Albertinus (2), aliique Calviniana lue infecti, qui ut Epheſini Concilii auctoritatem deiicerent contra manifeſtum comunem, & conſtantem totius litterariæ Reipublicæ conſenſum, Neſtorium ab omni hæreſeos labe inſontem ſuſtinere ſtudent: Soli enim ſufficerent Anathematiſmi Cyrilli: Epiſtolæ Cæleſtini Pontificis: decreta Epheſinæ Synodi, cuius Patres in Neſtorium ſententiam tulerunt, quique tum ex eius ſcriptis, tum ex concionibus ab ipſo Neſtorio Epheſi habitis, ſe illius hæreſim deprehendiſſe teſtantur: Etenim; *Non peperit*, inquit (3): *Creatura Increabilem, ſed Hominem Deitatis Inſtrumentum*. Vincentius Lirinenſis in Commonitorio (4) ſcripſit, *Neſtorius* contrario Apollinari morbo dum ſe ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere, ſimulat duas introducit repente perſonas, & inaudito ſcelere duos eſſe voluit Filios Dei, duos Chriſtos, unum Deum, alterum hominem, unum qui

(1) In libro de Suppoſito.
(2) In opere de Euchariſtia.
(3) Serm. 3. (4) N. 12.

ex Patre, alterum, qui ſit generatus ex Matre, atque ideo aſſerit Sanctam Mariam non Theotocon; ſed Chriſtotocon eſſe dicendam, quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille, qui erat homo, natus ſit. Sanctus Leo Magnus (1), *Anathematizetur* Neſtorius, qui B. Virginem Mariam non Dei, ſed hominis tantummodo credit Genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret *Deitatis*,,. Idem habent Caſſianus (2), Evagrius (3), Liberatus (4), Leontius (5), Facundus Hermianenſis (6), Theodoretus (7), qui ait: *Super* candelabrum divini Pontificum ſuggeſtus non lucernam veritatis, ſed tenebras ponit impietatis: Primus initæ novitatis gradus fuit non oportere, ſi Virginem, quæ Dei Verbum peperit, quod ex ea carnem ſuſcepit Deiparam confiteri, ſed Chriſtiparam dumtaxat, cum tamen antiquiſſimi orthodoxæ Fidei prædicatores iuxta traditionem Apoſtolicam Deiparam docuerunt nominare, & credere *Domini Matrem*.

Por-

(1) Epiſt. 97.
(2) Lib. 5. de Incarnat.
(3) Cap. 2. Lib. 1. Hiſt. Eccleſ.
(4) In Breviario cap. 4.
(5) Lib. 6. de ſectis art. 4. (6) Lib. 1.
(7) Lib. 4. Hæreticarum fabularum cap. 2.

Digitized by Google

Porro autem non temere, ſed de induſtria verba illa *Manifeſtus*, *Conſtans*, & *Conſulto præſtitus* canoni adiecta ſunt: Plura ſiquidem olim adeo certa habebantur, ut crimini verteretur, ea in dubium revocare; quæ tamen Recentiorum induſtria falſa eſſe comperit: Putabatur olim guttas, quæ circa ciatham aquam frigidam continentem, denſantur, non aliunde eſſe, niſi ex aqua ciathi poros pervadente, quod ſane falſum Recentiores deprehendiſſe, Nolletus teſtatur in lectionibus phyſicis; atque, eas ex vaporibus aeris circum undique ciathum ambientibus eſſe pluries expertus eſt: In Boyleana enim Machina exantlato aere, nullus circa ciathum eſt ſudor.

Rurſus ut indubium habebatur ex putreſcente carne, atque aceſcente vino parva animalia generari: At Dominus Reamur (1) ex eadem carne duo fruſta ſumpſit, atque ex eodem Dolio duas vini phialas; tum fruſtum unum carnis, unamque phialam aeri libero per plures dies æſtate præſertim expoſuit, alterum carnis fruſtum, phialamque alteram per dies totidem in Boyleano vacuo ab aere defendit, utramque carnis partem putreſcentem, utramque phialam vini aceſcentem invenit: at par-

(1) In Chemia pag. 402.

Digitized by Google

tem aeri libero expoſitam parvis animalibus refertam ; nullum vero in reſervatis in vacuo Boyleano deprehendit.

Illud quoque non vulgi tantum, ſed Philoſophorum communi comprobatum opinione fuit poſt Ariſtotelem, & Plinium, Cryſtallum Montanam dictam ex glacie per longum tempus aeri frigido durata generari : Quod ex anticipata opinione dictum eſſe a Recentioribus deprehenſum etiam eſt, qui eam oſtendunt non aliter gigni, quam Berillus, Adamantes, aliique lapides, quos pretioſos nominant, ex foſſili ſcilicet, & lapideo humore in telluris ſinu concreto : Etenim Cryſtallus, quam Montanam nominant, igni impoſita, non modo non liqueſcit poſt analyſim chymicam, ſed in cineres, ut cæteræ Cryſtalli, reſolvitur : Item teſte Du-Hamel eſt in ratione tripla, ut aiunt, gravior aqua, quum glacies aqua levior ſit, ipſique ſupernatet. Tandem in Inſula Cypri, ut habet Anſelmus Boetius Bood, ubi numquam Nix, & Glacies ob ſummum calorem haberi poſſunt, plures reperiuntur Cryſtalli Montanæ : unde ex græca nominis Etymologia antiquos deceptos eſſe dicendum eſt : eſt quippe Κρύσταλος Glacies a Κρύος frigus, & στέλλω concreſco :

Ve-

Digitized by Google

Verum non quod glacies ipſa ſit, ſed quod glaciei ſimilitudinem præſeferat, ita nominatur.

Ex quibus ſexcentiſque aliis liquet, non pauca in fide maiorum communiter ut vera habita fuiſſe.

CAPUT IX.

Quandonam credendum factis, quæ circumferuntur.

UBI

De Diſcrimine Traditionem inter, & Rumores Populares.

CANON I. POtuiſſe Rem fieri, aut veroſimilem eſſe, argumento non eſt, ut Factum credamus: Plura enim fingi poſſunt, quin pugnantia appareant, & vero ſimilia videantur. Ut prudens igitur ſit aſſenſus, attendendum ſedulo eſt ad circumſtantias Rei, Loci, Perſonæ &c., ne quid ex circumſtantiis ipſis inveriſimile credamus, ita ſi res ſufficienter ſit comprobata monumentis, ut commentitia non ea reiicienda: At ſi res vero

vero tantum ſimilis eſt, nec ullis, præter unam vulgi opinionem, innixa ſit argumentis, inter populares rumores eſt reiicienda: Ex quo Veteres argenteas typographicas habuiſſe literas fabellam ſapere, ait eruditiſſimus Trotz (1): quippe Unum Fridericum Saxoniæ Ducem, cui artem typographicam diſcere in animo fuit, argenteis eiuſmodi litteris, quæ ut monumentum Torgaviæ aſſervantur, uſum eſſe conſtat.

Canon II. Grandiora *Miraculs*, *quo rariora sunt*, inquit Tillemontius (2), cui ſubſcribit Honoratus a S. Maria (3) *eo magis in ſuſpicionem cadere debent, ſi obſcuriorum Auctorum teſtimonio confirmentur: Uti contra excipi reverenter debent, quando ab Scriptoribus narrantur, quorum auctoritatem reiicere inſolens eſſet, & criminoſum*. Potiori vero iure huiuſmodi non ſunt admittenda, quæ narrantur Prodigia, ſi vel aliter explicari res poſſit, vel naturalis vulgati Portenti ratio reddi; ut illa erant, quæ de Pulvere Sympathico dicebantur, de quo ſupra Capite III. Canone VIII. in adnotationi-

(1) In Notis ad Hermannum Hugo de prima ſcribendi orlgine cap. 34. §. XI.
(2) In Vita S. Felic. Nolan. Tom. 4.
(3) Diſſert. 4. Part. 2. art. 4.

Digitized by Google

nibus meminimus: vel ſolidum aſſignari poſſit Fundamentum, unde ſit, quod miracula illa vulgata ſint; hinc ſapienter Livius (1) cui ſubſcribit Lactantius (2), fabuloſum dicit Romulum, & fratrem Remum a vera Lupa (*a*) nutritos fuiſſe: *Sunt*, ait, *qui Laurentiam vulgato corpore Lupam inter Paſtores* (erat enim ipſa Uxor Fauſtuli, qui Magiſter Regii pecoris erat) *vocatam putent: inde locum fabulæ, ac miraculo datum*.

Ex quibus etiam quod de Septem Dormientibus Metaphraſtes (3) Surius (4) Nicephorus (5) Cedrenus 6) Gregorius Turonenſis (7) Sigebertus (8) Uſuardus (9) & Menologium Græcum (10) narrant, quod ſcilicet ipſi in an-

trum

(*a*) A vera Lupa nutritos volunt Iuſtinus (11) Plinius (12) Plutarchus (13) Ovidius (14) teſte Iſaaco Pontano (15).

(1) Lib. 1. cap. 3. (2) Lib. 1. cap. 20.
(3) Apud Surium. (4) Tom. 2. hac die 27. Iulii
(5) Lib. 14. cap. 45. (6) In Comp. an. 23. Theodoſ.
(7) De Glor. Confeſ. cap. 95.
(8) In Chronic. an. 447. (9) In Martyrol. 27. Iul.
(10) Prid. Non. Aug., & XI. Kal. Novemb.
(11) Lib. 43. circ. fin.
(12) Lib. 8. cap. 17. (13) Cap. 65. Paral.
(14) Faſtor. 3.
(15) In Not. ad Lucii Annaei Flori cap. 1.

Digitized by Google

trum prope Epheſum confugientes, occluſo a perſecutoribus oſtio, per ducentos ferme annos, a perſecutione Decii ſcilicet ad annum 447. Theodoſio Iuniore regnante, dormierint, non admittimus quippe nec veroſimile videtur, nec ſufficientibus eſt comprobatum monumentis: præſertim quum rem facile explicent, concilientque Tillemontius, Baronius (1) & Cuperus (2) ex formulis, quibus utitur Eccleſia, quæ mortem Sanctorum *Dormitionem* appellat, atque ob ſpem futuræ Ἀνάστασεως eam ſomno comparat: & quum Septem Martyrum corpora ibi tumulata in perſequutione Decii ætate Theodoſii inventa fuerint, Inventio huiuſmodi a popello Reſurrectio dicta eſt.

Nec omittendum, inquit Eminentiſſimus Baronius (3), quod *Sententiæ eorum, qui putant, hos non ob mortem dictos eſſe Dormientes, ſed quod vere eo temporis ſpatio ſomno fuerint oppreſſi, magnopere refragatur, quod ipſi aiunt, id miraculum divinitus factum ob eam cauſſam, quod eo tempore de Reſurrectione Carnis hæreſis eſſet orta: Quum revera nihil tale temporibus Theo-*

(1) In Not. ad Martyrol. 27. Iul.
(2) Act. SS. Iul. Tom. 6. pag. 393. num. 37.
(3) Loc. cit.

Digitized by Google

Theodosii Iunioris contigisse reperiatur : Nam nec in Sacrosancto Concilio Ephesino , quod sub eodem Theodosio celebratum est , neque in Sacrosancta Synodo Chalcedonensi , post illud proxime habita ulla umquam mentio de eiusmodi hæresi facta invenitur , quæ prima omnium Patrum sententia damnari debuisset . Præterea si ad adstruendam fidem Resurrectionis voluit Dominus hos Martyres excitare , manifestum est , eos revera fuisse Mortuos ; alioqui enim , Dormientium quidem a Somno Excitatorum , sed non Mortuorum Resurgentium , quæ Fidem Resurrectionis facerent , fuissent Testimonia .

His accedit , subdit , *quod nullus illorum Scriptorum , qui illis vixere temporibus , tam insigne miraculum adeo grande scriptorum monumentis commendarunt quæ omnia illos latuisse verisimile non est : puta S. Prosperum , qui illorum temporum res gestas per annos singulos digessit : aut Marcellinum , vel alium ex illorum temporum Scriptoribus . Addimus etiam , quod Stephanus Episcopus Ephesinus , cuius sedis tempore id evenisse refertur in Actis , quæ scribit Metaphrastes , intrusus fuit armorum vi in eam Sedem , polluitusque communione Eutychetis , atque Dioscori in Latrocinio Ephesino , ut habent Acta ipsa , quæ recitantur in SS. Chalcedonensi Concilio Act.* 1. *& undecima* ,

ma, cuius quidem communionem prædicti Dormientes merito execrari, ac vitare debuissent.

Firmatur tandem huiusmodi Criticorum opinio ex eo, quod Manasses græcus Scriptor non dormientes, sed vere mortuos dixerit: unde Gregorius, Turonensis, qui viginti sex annis a morte Theodosii hæc scripsit, decipi a rumore vulgi facilé potuit (*a*).

Adducor etiam ad id credendum, quia quid simile, ut notat Laudatus Baronius (1), de aliis Septem Dormientibus in Germania scribit Paullus Diaconus (2), quos ipse illos esse putat, de quibus Gregorius Turonensis (3) monuit Sulpicium Episcopum Bituricensem (*b* quorum nomina recitat, & de quibus aperte testatur obiisse, licet *Dormientes* dicti sint.

CANON III. Facta præsertim insignia, quæ per

(*a*) Vide Librum inscriptum *SS. Septem Dormientium Historia* ex Ectypis Musæi Victorii. cap. 12.

(*b*) Cuperus censet, & probat alios esse Ephesinos, alios Turonenses; de quibus Gregorius Turonensis agit (4), alios Germanos, quorum meminit Paullus Diaconus.

(1) Loco cit. (2) De Gest. Longob. cap. 4.

(3) Epist. ad Sulpic. Episc. Bituric.

(4) Ex recens. Ruinart col. 1269., qui Lib. 1. de Glor: MM. 85. de aliis dixerat.

Digitized by Google

per os vulgi traducuntur, poſt acre iudicium, ut certa, & vera non ſint admittenda: De ipſis tamen fundamentum aliquod, unde rumor ortus ſit, extitiſſe tenendum eſt. Monet id ſapienter Ariſtoleles (1), qui: *Famoſa*, ait, *aut ſunt neceſſaria penitus, aut ex parte, neque fieri poteſt, ut Famoſum omni ex parte ſit falſum*. Quod docet & Strabo 2), qui Polybium idem ſentientem commendat, & Auctor Libri *De Incredibilibus* (3), qui poſtquam dixit aliquos rem omnino reiicere, alios admittere, ſubdit: *Mihi autem videntur facta fuiſſe, quæ ita narrantur; aliter ſermo de his tantus non exiſteret*.

Canon IV. Si Teſtes ſibi diſcrepent, & controverſia circa doctrinam verſetur, magis Viro Docto, quam pio, & benemorato, ſed rudi credendum; quippe præſumptio eſt pro Doctrinæ intelligentia: Si de Facti exiſtentia agatur, magis pio, ſimplici, religioſoque viro adhærendum: quo enim magis pius eſt, difficilius mentitur, præſertim ſi rem ſine ſtudio narrent.

Canon V. Si plures affirment, & plurimi præſentes rem accidiſſe ignorent, affir-

man-

(1) De Sommo, & Vigil.
(2) Lib. 1. (3) Init.

Digitized by Google

mantibus ſubſcribendum : nam non una poterit eſſe ignorantiæ cauſſa vel mentis ſcilicet alienatio , vel intentum cum amicis colloquium , aliaque huiuſmodi : Si vero ſe præſentes , & ad inquirendum intentos fuiſſe dicant , & mordicus rem eveniſſe negent , ſi cæteræ concurrant proborum Teſtium dotes , cum plurimis ſentiendum .

Antequam de Diſcrimine Traditiones inter , & Rumores Populares agamus, Lectores monitos volumus . Non hic de Triplici Traditione , Divina ſcilicet , id eſt eorum , quæ immediate a Deo maioribus revelata ſunt , & ab his ad poſteros tranſmiſſa : De Apoſtolica , quam Apoſtoli , & Eccleſiæ Paſtores ſtatuerunt (Nam ea , quæ Apoſtoli a Chriſto Domino acceperunt , & Fidelibus tradiderunt, Divina dici debet , ſeu Apoſtolico Divina), & Eccleſiaſtica , quæ a Prælatis Eccleſiæ eſt inducta , nobis hic ſermonem eſſe : Hæc enim ad Theologos ſpectat , qui pro dignitate de ipſa agunt (*a*) : Sed de Traditione illa inquirimus , quæ argumentum nobis ſufficiat de Veritate Hiſtoriarum , Morum , Conſuetudinum Re-

(*a*) Vide præſertim Bellarminum In Controver. Tract. de Tradit. Illuſtr. Canum de Locis Theologic. Becanum In Manual. Controv.

Digitized by Google

Regionis, vel Nationis cuiuſdam &c. De hac etiam plura Dupinus, Thierius, Tillemontius, Mabillonius, aliique Eruditi Viri, quos initio memoravimus, fuſe ſcripſere: Verum & nos aliqua breviter pro Inſtituti noſtri ratione dicemus.

Traditio eſt Veritatis alicuius per continuam narrationem, aut famam communem de alio ad alium depoſitio.

Canon I. Ut Vera admitti poterit Traditio, ſi eius originem, eiuſque deductionem ad noſtra uſque tempora non ignoremus: etenim, ſi eius originem ſciamus, difficile non erit colligere, num ex errore orta fuerit, Auctores examinando iuxta ſupra poſitos Canones. Si perpetuam, inviolatamque fuiſſe deductionem noverimus, eamdem quoque ſervare veritatem, quam ab initio obtinuit, noſcemus: Quam ſane animadverſionem, ſi præ oculis Auctores nonnulli habuiſſent, inter fabellas, populique rumores reieciſſent Liberationem Trajani ab inferis per preces D. Gregorii Magni: Omnes enim, qui id affirmare non dubitarunt, aſſerti huius originem neglexerunt, alter ab altero ſine delectu tranſcribentes: Hanc opinionem ex iis eſſe ait Iacobus La Baune, quæ iactari dicuntur ab omnibus; diligenter exa-

Digitized by Google

minatæ, probo destituuntur auctore Etenim maximum huius rei fundamentum est, quod in Euchologio Græcorum (1) legatur. Et illud animadvertendum, quod in Euchologium transcriptum id sit ex Pseudo-Damasceni oratione *De iis, qui in fide dormierunt*; quam sane orationem esse Damasceno falso tributam demonstrat Liquien (2), præsertim cum Damascenus in Dialogo contra Manichæos (3) hæc habeat *Sicuti Demones post lapsum non resipiscunt; neque etiam Angeli nunc peccant; sed utique hoc habent, ut nulla in ipsos mutatio cadat; sic homines post obitum conversionem nullam admittunt*. Primum igitur Auctorem habet assertio huiusmodi Paulum Diaconum in Vita S. Gregorii (4), atque iterum de ea meminit Ioannes item Diaconus in Vita eiusdem Sancti Pontificis (5), quæ habetur tomo quarto Operum S. Gregorii: At qua ratione id uterque asserat, quibus nixi antiquioribus testibus, cum ipsi trecentis a S. Gregorio annis floruerint, quibus saltem coniecturis id narrent, si quæras, nullam sane reperies, si ipsorum tantum dicta excipias, ut ad rem Baronius (6) *Ioan-*

(1) Cap. 19. (2) Differt. 5. ex Damasc. §. 3.
(3) §. 65. (4) Cap. 27.
(5) Lib. 2. cap. 44. (6) Ann. 604. §. 41.

Digitized by Google

Ioannes Diaconus, qui ſub Ioanne VIII. trecentis ferme poſt annis ab ipſo Gregorio vixit, ac ſcripſit in Urbe vitam ipſius, ubi ad locum hunc devenit, ut narraret rem adeo celebrem, ſcriptoque firmatam certis teſtibus poſteris eam relinqueret, hæſiſſe plane viſus eſt in ſalebris, dum nihil habuit, quod ad rem teſtandam ex Archivio Romano peteret (a). Præſertim cum Gregorius ipſe neget(1) Chriſtum Dominum eos liberaſſe ab inferis, qui ſe a Deo male vivendo ſeparaverint; & ſecus ſentire hæreticum eſſe prædicaverit.

Canon II. Quare non illico credendum ei, qui ſe ab aliis accepiſſe teſtatur: Etenim ut optime Iuſtinus (2) *Fama in maius ut mos eſt*, *omnia extollit*, de qua Ovidius:

Creſcit, & auditis aliquid novus adiicit Auctor(3).

Quod ſane de Scipionis morbo loquens Livius (4) firmat. *Scipio*, inquit, *gravi morbo implicitus, graviore tamen fama, quum ad id quiſque, quod audierat, adiiceret aliquid*: Quapropter de iis, a quibus rem acceperint, inquirendum, num fide digni, veracesque,

(a) Vide ſis Lambertinum De Serv. Dei Beatif. lib. 3. cap. 10. §. 6. Natalem Alex. Hiſt. Eccl. Sæc. II. Diſſ. 1.

(1) Lib. 7. Epiſt. 15.

(2) Lib. 2. cap. 13. (3) Metam. XII. v. 58.

(4) Lib. 28. cap. 24.

Digitized by Google

iuxta appoſitos canones, ſint: quod ſi & hi ab aliis accepiſſe affirment, rurſus & de his inquirendum, donec ad proximos teſtes, qui & ſinceri, & diligentes, & ab anticipatis iudiciis ſint liberi, deveniamus: ſecus vero inter populares rumores factum eſt recenſendum.

Canon III. Adſertum illud, quod plurimi Antiquiorum affirmant, ipſorum nullus contradicit: nec aliquid incredibile, aut abſurdum in eo deprehenditur inter puras putaſque, & veras Traditiones, cenſendum eſt; neque leves coniecturæ tanti habendæ ſunt, ut antiquiſſimam traditionem evertant. Huius generis communiter habetur Traditio de Regia Magorum dignitate, quam Cl. Hiacynthus Serry (1), & Calmet (2) deturbare conantur. Hanc enim Nullus antiquiorum Patrum aperte negavit, ut Auctores oppoſitum ſentientes fateri tenentur: Plurimi hoc titulo ipſos nominant, ut Tertullianus contra Marcionem (3), Chriſoſtomus (4), Ambroſius (5), Cæſa-

(1) Exercitat. 34. de Crhiſto, ac Virgine, & in Animadverſ. anticritic. in Sandinum cap. 3.

(2) Diſſert. de Magis.

(3) Lib. 3. cap. 3., & Lib. adverſ. Iudæos cap. 5.

(4) Homil. 1. in Matt. c. 2., & Hom. in Nat. S. Ioan. Baptiſtæ.

(5) Homil. in Epiphan.

Digitized by Google

Cæsarius Arelatensis (1),Hieronymus (2), Hilarius (3): Idem habetur in antiquissimo hymno, qui Damaso adscribitur: idem in vetusto epigrammate, teste Cano (4), & in vetusto Cartusiano Codice: idipsum testimonio suo firmant Gelenius,& Broelmannus apud Bollandum, & Molanus (5), cui calculum addit suum Paschasius Radbertus (6) inquiens: *Magos Reges extitisse, nemo qui historias legit gentilium, ignorat*: Atque tantam obtinuit sæculo decimo certitudinem opinio isthæc, ut Ioannes Zemiscius, dum Constantinopolim regeret,numismata iusserit, in cuius altera parte Christi imago percussa erat, in altera tres Principes signis Regiis Christum adorantes, ut habet Honoratus. *Id autem* subdit Benedictus XIV. de Festis Christi, & B. Virginis (7) *permagnum huic opinioni pondus addit, quod in Epiphaniæ Festo de Magorum adoratione Ecclesia Davidico illo utitur vaticinio psal. 71. idque a priscis temporibus, deinde addit: quamquam textus ille,atque Isaiæ oracu-*

(1) Serm. 129. in appendice Serm. S. Augustin.
(2) In Daniel. cap. 2.
(3) Lib. 4. de Trinit.
(4) Lib. 2. de Loc. Theol. cap. 5. resp. ad 4.
(5) In Addit. Usuardi.
(6) Lib. 2. in Matth.
(7) Lib. 1. cap. 2. n. 12.

Digitized by Google

lum de Regibus Ethnicis,barbariſque gentibus intel-ligatur ; tamen Eccleſia , quæ Vaticinia illa ad Magorum adorationem accomodat , ſatis aperte declarat propenſiorem ſe ad illam ſententiam eſſe , quæ . . . Magis,de quibus loquimur,regiam aſſerit dignitatem . Quod vero de Regia dignitate nihil innuant Evangeliſtæ: quum Argumentum mere Negatiuum ſit , tanti roboris non eſt , ut antiquam deturbare poſſit traditionem , ac tot . tantorumque Patrum evertere auctoritatem : Quod Herodes exteros Reges , non præmiſſis Legatis, in regiones ſuas non admiſiſſet, Levis eſt momenti ratio , tum quia non prius Herodes id ſciverit , quam ii in ditione ſua , duce Stella , eſſent : tum quia ex animi perturbatione totus erat in perquirendo modo , quo Chriſtum de medio tolleret . Cæterum utrique difficultati occurrit Gretſerus (1) inquiens: *Regium nomen magnam latitudinem habet , idcirco non neceſſe eſt , ut omnes , qui vel appellantur Reges, ſint tanti, quanti Rex Hiſpaniæ, & Galliæ ſavet Scripturæ phraſis , maxime in libro Ioſue , ubi Regis nomen illis tribuitur , qui hodie vix Principis nomenclaturam tueri poſſent* . Idem ſentit Natalis Alexander (2) Fere : Reges , quia potentes , & di-

(1) Tom. 5. lib. 1: de Feſtis cap. 30.
(2) Sæc. 1. c. 1. art. 4.

Digitized by Google

& divites Toparchas forte, vel Dynaſtas fuiſſe probabile eſt. Quibus ſubſcribit Baronius (1).

CANON IV. Licet non habeantur eiuſdem ætatis Auctores ſufficit, ſi habeantur teſtes præſumpti, ut aiunt. Teſtes præſumptos dicimus, qui licet nunc non extent, extitiſſe olim præſumimus ex prudentia, & ſeveri iudicio Scriptoris, quamquam æui recentioris factum narrantis: præſertim, ſi quid & ipſe addat: nam ſi cæteris omnibus characteribus Hiſtorici Scriptor eſt præditus, optimum præbet argumentum, quod adſerit non ex ingenio effinxiſſe, ſed gravi ductum ratione affirmaſſe. Argumento ex Traditione ductus affirmat Iuſtinus Martyr (2) Septuaginta duos Interpetres ſingulos ſingulis Cellulis diviſim incluſos Scripturam interpretatos eſſe: *Hæc vobis viri Græci, at, non ut fabulam, neque ut conſictam hiſtoriam renunciamus; ſed qui ipſi Alexandriæ fuerimus, & veſtigia domunculorum apud Pharum adhuc reliqua viderimus, & ab incolis, qui res patrias a maioribus per manus ſibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus.*

Tanti ponderis habita fuit traditio ex Iuſtino, ut ipſi adhæſerint Irenæus (3), Tertullianus

(1) Ann. Chriſ. 30.
(2) Orat. ad Gent. (3) Lib. 3. cap. 25.

Digitized by Google

nus (1), Clemens Alexandrinus (2), Cyrillus (3), Hilarius in Pslamos (4), Auguſtinus (5), licet oppoſitum ſenſerit D. Hieronymus (6).

Neſcio quis Auctor (inquit) ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo conſtruxerit: cum Ariſtæas eiuſdem Ptolemæi τυπεραςπιςης & multo poſt tempore Ioſephus, nihil tale retulerit; ſed in una Baſilica congregatos contuliſſe *ſcribant, non prophetaſſe*. At cenſent contra alii, quod omitti ab Ariſtæa, & Ioſepho id potuit, ne quid hebraicis litteris ex hac verſione detrahi videretur: cum præſertim Hieronymus ipſe Septuaginta hos Seniores divino Spiritu afflatos ſcribat præfat. in Lib. Paralipom.

Nequaquam vero audiendus eſt Ioſephus Scaliger, qui totam Septuaginta Interpretum hiſtoriam contra fidem omnium antiquorum, qui rem ad tempora uſque ſua conſtanter tradiderunt, Primus in dubium revocare ſtudet, (7) putans Verſionem hanc ab Alexandri-

nis,

(1) Apol. c. 18. (2) Strom. Lib. 1.
(3) Cathec. 4. (4) In pſalm. 2.
(5) Lib. 2. c. 15. Doct. Chriſt.
(6) Præf. in Pentat. & Ep. 104. & 107.
(7) In obſer. Euſeb., & in duabus epiſt.

Digitized by Google

nis, inſtigantibus Helleniſtis (a), factam fuiſſe, qui ut in Synagogis ea uti iure poſſent, confictam hac ſuper re epiſtolam ſub Ariſtææ nomine vulgarunt, ex qua deinde Ioſephus, Philo, aliique per os vulgi traduxerunt.

Quatuor ipſe coniecturis firmam tot ſæculorum traditionem infirmare conatur. Quarum prima tota in eo eſt, ut oſtendat Ptolemæum infenſiſſimum fuiſſe Demetrio illi Phalereo, cuius hortatu id feciſſe Ptolemæum, refert Ariſtæas: odium autem hoc ex eo fuiſſe ait; quod ſuaſerat Demetrius Ptolemæo Patri, ut non eos, quos ex Berenice ſuſceperat Filios, ex qua erat Ptolemæus ipſe, ſed quos ex Euridice priore uxore, in regnum cooptaret: quod cum aliter acciderit, Ptolemæus, teſte Hermippo apud Svidam, Demetrium in exilium expulit, ubi is mortem ſibi conſcivit.

Plura hic ut certa ſibi ſumit Scaliger, quæ ſolida probatione indigerent, ut antiquiſſimam everteret Traditionem: Probare primo debuiſſet, rem eveniſſe ſub Ptolemæo Philadelpho filio: non autem ſub Ptolemæo primo

(a) Helleniſtæ Iudæi erant, qui ob conſuetudinem cum Græcis linguam hebræam dediſcentes græciſſabant, vel ut Voſſio placet, Iudæi religione in negotiis peragendis Græcis erant addicti.

Digitized by Google

mo filio Lagi, ut cenſet D. Irenæus (1) apud quem Demetrius ſummo in honore erat: oſtendere item debuiſſet, id Demetrium ſuaſiſſe Ptolemæo filio, defuncto iam Patre, cum Clemens Alexandrinus (2), & Anatolius (3), autument utroque regnante id factum eſſe; rurſus Demetrium ob præclarum virtutum, & litterarum nomen in gratiam Ptolemæi Filii non rediiſſe, vel Patre adhuc vivente, vel poſtPatris obitum,cum præſertim ex Tullio(4), Æliano (5),Ioſepho (6),Philone (7), ab ipſo Bibliothecæ præpoſitum fuiſſe ſciamus: quod etiam firmatur ex eo, quod Hermippus apud Svidam non in exilium miſſum Demetrium, ſed Dignum, ait, qui mitteretur: in voce enim Δημητριος (unde tota hæc coniectura eſt) legitur αξιοτηναι.

Nullius adhuc roboris altera eſt Scaligeri coniectura: non extitiſſe ſcilicet tunc temporis duodecim Tribus, ex quibus Viri Interpretes ſeligi poſſent: cum diu ante hoc tem-

(1) Lib. 2. adverſus hæres. cap. 25.
(2) Strom. lib. 1.
(3) In Canon. Paſchal.
(4) Lib. 5. de Finibus.
(5) Lib. 3. Variæ hiſt.
(6) Lib. 12. Origin. Iudaic. cap. 2.
(7) Lib. 2. de Vita Moyſ.

Digitized by Google

tempus, decem in Mediam, & Babyloniam, & dein aliæ etiam duæ Tribus abductæ fuerint, & loco ipsarum essent ea in regione Samaritani, ut ex 4. Reg. cap. 17., & 18. constat: item quod nec in Palæstinam redierint, exceptis Levitica, Iudaica, Beniamitica, teste Iosepho lib. 11. orig. Iudaic c. 1. 4. 5. 8.

At primo necesse non erat omnes in Palæstina adesse Tribus: quid enim facilius Eleazaro, quam ex Assyria, & Babylone Interpretes illos arcessere, atque in Egyptum cum Palestinis mittere? Cæterum non paucos ex nobilioribus Hebræis in Palæstina substitisse liquet ex 4. Reg. cap.6.: Plures item rediisse scimus ex Tob: cap. 10., & aliquos ex qualibet Tribu remansisse, perlegenti lib. 2. Iudaic. antiq. cap. 5. Iosephi constabit: atque aliquos ex omni Tribu ætate Christi Iudæos fuisse tum ex Apologetico Tertulliani, tum ex Hom. 25. in Matt. Ioannis Chrysostomi, tum ex eo quod Anna, de qua loquitur Lucas cap. 2. fuerit ex Tribu Aser, clare patet.

Nec maioris momenti est tertia; quod nimirum aliæ sint Epistolæ, quas refert Aristæas; aliæ, quas habet Epiphanius, Ptolemæi ad Eleazarum, & vicissim Eleazari ad Ptolemæum hac super re; id enim fabulosam non in

fer

fert esse Traditionem, sed tantum, quod non omnes uterque referat Epistolas, sed alius alias; nisi melius dicamus, ut plures apud Fabricium (1), Aristæam, ut nunc extat, suppositicium esse.

Postremo simultates opponit Scaliger Palæstinos inter, & Alexandrinos: Has quidem non negaverim, quum signa quædam in ipsis Apostolorum actibus indicentur: At id non ex eo tantum, quod Iudæi ex Hebræo in græcum sermonem scripturam vertissent; sed ex eo, quod ex lectione Septuaginta, qui non verbalem, & grammaticalem sensum secuti erant, sed allegoricum, ut observat Genebrardus, clarius, quæ de Christo erant prænunciata, exponentes, multi Iudaismum deserentes in Christi Domini sese reciperent castra. Ad hanc eamdem causam referri debet Ieiunium, quod Scaliger putat indictum propter maximum scelus patratum ab Alexandrinis; quod ut expiaretur, universæ nationi hebrææ 8. Tevet, hoc est, nostri Decembris in eorum Calendario statutum legitur. Cæterum non universæ genti hebrææ, sed Synagogis tantum orientalibus præceptum fuit, & quidem pluribus post Christum Sæculis præceptum

(1) Tom. 2. Biblioth. græcæ pag. 319.

Digitized by Google

ptum tradunt Scaliger ipſe (1) & Buxtorfius, nec uſpiam hodie obſervatur; quare non propter Verſionem Scripturæ, ſed propter converſionem Iudæorum, & ut dictum eſt, ad Chriſti Domini fidem, ſi vere umquam fuit, a Rabinis Orientalibus præceptum fuiſſe tenendum eſt: Cæterum Morinus (2) & Hody (3) fabuloſum id eſſe pluribus probant.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(1) Lib. 7. de Emendat. temporum.
(2) In Lib. de mod. Legen. Rab.
(3) Lib. 1. exer. 8. c. 3.

MAG. 201855

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google